LIBRORUM PONTIFICIORUM ROMANORUM DE CAERIMONIIS SACRIFICIORUM RELIQUIAE

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

GUALTHERUS ROWOLDT
BRUNSVICENSIS

HALIS SAXONUM
TYPIS WISCHANI ET BURKHARDTI
MDCCCCVI

DE DISSERTATIONE PROBANDA
AD PHILOSOPHORUM ORDINEM RETTULIT
GEORGIUS WISSOWA

GEORGIO WISSOWA

S.

Quo modo collegium pontificum Romanorum compositum et in sacrificiis perficiendis obstrictum esset legibus sacris, perscrutari primus suscepit Iulius Athanasius Ambrosch.[1]) is prima gravissimaque iuris pontificii totiusque pontificum condicionis explanandae fundamenta posuit simulque librorum pontificiorum fragmenta primus colligere aggressus est, atque hac de causa quod initium modo harum quaestionum facere ei licuit vehementer dolendum est. post eum Reifferscheidio auctore libros pontificios diligentius perquirere et investigare conatus est P. Preibisch,[2]) quamquam hic quoque quaestiones minime absolvit. quae libri pontificii in universum continerent quoque modo singulae eorum partes inter se cohaererent, ex scriptorum testimoniis indagare suscepit, sed sententiam eius omnia, quae librorum pontificiorum esse auctores antiqui affirment, excerpta esse ex pontificum decretis[3]) vix probari posse infra videbimus. eodem modo augurum libros perscrutatns est P. Regell[4]) simulque pontificum et augurum libros atque commentarios, qua utraque appellatione utuntur scriptores veteres, diversos non esse

---

[1]) I. A. Ambrosch, Observationum de sacris Romanorum libris particula I. (ind. schol. Vratisl. 1840); Prooemium quaestionum pontificalium (ind. schol. Vratisl. 1847); Quaestionum pontificalium caput I. II. III. (ind. schol. Vratisl. 1848. 1850. 1851.)

[2]) P. Preibisch, Quaestiones de libris pontificiis, diss. Vratisl. 1874; Fragmenta librorum pontificiorum, progr. Tils. 1878.

[3]) Quaest. de libr. pont. p. 5.

[4]) P. Regell, De augurum publicorum libris, diss. Vratisl. 1878; Fragmenta auguralia, progr. Hirschb. 1882; Commentarii in librorum auguralium fragmenta specimen, progr. Hirschb. 1893.

satis diligenter explanavit.[1]) deinde omnia, quae ad partem quandam librorum pontificiorum referri possunt, collegit Rud. Peter. qui omnia illorum librorum fragmenta, quae de Romanorum sacerdotibus publicis praeceptisque eorum certiores nos faciunt, maxima diligentia composuit.[2]) nunc Georgii Wissowa praeceptoris carissimi adhortatione adductus ea, quae de caerimoniis in sacrificiis observandis libri pontificii praecipiunt, conferre hoc loco conabor.

Quod attinet ad ipsos libros pontificios, cum iam multi viri doctissimi explanaverint, quo modo orti et compositi sint, mihi pauca adicienda vel repetenda sunt.[3]) quamquam urbe Roma a Gallis incensa commentarii pontificum interierant,[4]) tamen mores praeceptaque sacerdotum memoria retinebantur neque multo post denuo paulatim componebantur. nam cum caerimonias praeceptaque pontificum omni modo servari necesse esset, quia si non fieret piaculum committi putabatur, atque tot existerent et tam difficilia, quin litteris mandarentur, fieri non poterat. iam Dionysius Halicarnassensis[5]) pontificibus cu-

---

[1]) p. 30 sqq. eadem iam antea Reifferscheidius statuerat; cf. etiam Preibisch, Quaest. de libr. pont. p. 2.

[2]) Rud. Peter, Quaestionum pontificalium specimen, diss. Argentor. 1886.

[3]) cf. Marquardt, Roem. Staatsverw. III² p. 299 sqq. Wissowa, Rel. u. Kult. der Roem. p. 441 sqq.

[4]) Liv. VI 1,2: „. . . . tum quod parvae et rarae per eadem tempora litterae fuere, una custodia fidelis memoriae rerum gestarum; et quod etiam si quae in commentariis pontificum aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensa urbe pleraeque interiere."

[5]) Dion. Hal. II 73,1: „Οὗτοι κατὰ μὲν τὴν ἑαυτῶν διάλεκτον ἐφ᾽ ἑνὸς τῶν ἔργων ὃ πράττουσιν ἐπισκευάζοντες τὴν ξυλίνην γέφυραν ποντίφικες προσαγορεύονται, εἰσὶ δὲ τῶν μεγίστων πραγμάτων κύριοι. καὶ γὰρ δικάζουσιν οὗτοι τὰς ἱερὰς δίκας ἁπάσας ἰδιώταις τε καὶ ἄρχουσι καὶ λειτουργοῖς θεῶν καὶ νομοθετοῦσιν ὅσα τῶν ἱερῶν ἄγραφα ὄντα καὶ ἀνέθιστα * * * * * κρίνοντες ἃ ἂν ἐπιτήδεια τυγχάνειν αὐτοῖς

stodiendum fuisse, ne caerimoniarum leges violarentur, affirmat, quod profecto fieri nequivit, nisi religiones enotatas habebant. omnia igitur haec praecepta a sacerdotibus denuo collecta in complures partes dividebantur, quarum singulae ea, quae de certa quadam re praescripta erant, continebant. cum autem pontifices saepe etiam a magistratibus consulerentur de rebus sacris aut ipsi de caerimoniis rituque sacrificiorum vel de novis rebus,[1]) de quibus praecepta enotata non habebant, sententias litteris mandare vellent, ut postea eadem res ne aliter ageretur, eodem modo etiam omnia decreta et responsa componebant certeque singulis librorum pontificiorum partibus addebant. hos varias res et partes continuisse cum iam per se apertum sit,[2]) etiam ex scriptorum testimoniis praeter decreta complures partes librorum pontificiorum discerni possunt: indigitamenta,[3]) imprimis ritus, quibus singula sacrificia

---

φανείη νόμων τε καὶ ἐθισμῶν· τάς τε ἀρχὰς ἁπάσας, ὅσαις θυσία τις ἢ θεραπεία θεῶν ἀνάκειται, καὶ τοὺς ἱεροὺς ἅπαντας ἐξετάζουσιν ὑπηρέτας τε αὐτῶν καὶ λειτουργούς, οἷς χρῶνται πρὸς τὰ ἱερά, οὗτοι φυλάττουσι μηδὲν ἐξαμαρτάνειν περὶ τοὺς ἱεροὺς νόμους· τοῖς τε ἰδιώταις ὁπόσοι μὴ ἴσασι τοὺς περὶ τὰ θεῖα ἢ δαιμόνια σεβασμούς, ἐξηγηταὶ γίνονται καὶ προφῆται· καὶ εἴ τινας αἴσθοιντο μὴ πειθομένους ταῖς ἐπιταγαῖς αὐτῶν, ζημιοῦσι πρὸς ἕκαστον χρῆμα ὁρῶντες, εἰσί τε ἀνυπεύθυνοι πάσης δίκης τε καὶ ζημίας οὔτε βουλῇ λόγον ἀποδιδόντες οὔτε δήμῳ, περὶ γοῦν τῶν ἱερῶν."

[1]) cf. Gell. Noct. Att. II 28,3 (fr. 164): „Eas ferias si quis polluisset piaculoque ob hanc rem opus esset, hostiam ‚si deo, si deae' immolabant, idque ita ex decreto pontificum observatum esse M. Varro dicit".

[2]) cf. etiam A. Bouché-Leclercq, Les pontifes de l'ancienne Rome (Paris. 1871) p. 19 sqq.

[3]) de his cf. Ambrosch, Ueber die Religionsbuecher der Roemer (Bonn. 1843); Bouché-Leclercq, Les pontifes p. 24 sqq.; Marquardt, Roem. Staatsverw. III[2] p. 7 sqq.; Wissowa, Rel. u. Kult. p. 22. 33. 333. 441; R. Peter in Roscher. Lexic. II p. 129 sqq. — cf. Gell. Noct. Att. XIII 23,1: „Conprecationes deum immortalium, quae ritu Romano fiunt, expositae sunt in libris sacer-

erant perficienda, caerimoniaeque, quae pontificibus impositae erant, album et acta pontificum, fasti, annales maximi, leges regiae. de caerimoniis actum esse certo pontificiorum librorum genere quodam, quod iam Ambrosch[1]) cognoverat, pro certo haberi potest, quamquam hos libros inter pontificios fuisse negavit Marquardt.[2]) eodem modo atque pontifices etiam cetera sacerdotum publicorum collegia suos libros suaque acta habuisse iam per se consentaneum est et ex scriptorum testimoniis cognoscitur. libri vel commentarii augurum sive augurales a scriptoribus veteribus multis locis citantur,[3]) Saliis proprios libros fuisse affirmat Varro,[4]) ius fetiale multi auctores commemorant,[5]) actorum fratrum Arvalium magnae partes ex temporibus imperatorum Romanorum in lapide perscriptae nobis traditae sunt.[6]) tamen plurima testimonia ad anti-

---

dotum populi Romani". Serv. Georg. I 21: „ . . . . . nomina haec numinum in indigitamentis inveniuntur, id est in libris pontificalibus, qui et nomina deorum et rationes ipsorum nominum continent". Censorin. De die nat. 3,3 sq.; „Genio igitur potissimum per omnem aetatem quotannis sacrificamus; quamquam non solum hic, sed et alii sunt praeterea dei conplures hominum vitam pro sua quisque portione adminiculantes, quos volentem cognoscere indigitamentorum libri satis edocebunt."

[1]) Observationum de sacris Romanorum libris particula I. p. 13 adn. 59. cf. E. Luebbert, Commentationes pontificales (Berol. 1859) p. 80. Peter, Quaest. pont. spec. p. 6 sq.

[2]) Roem. Staatsverw. III^2 p. 300 adn. 1.

[3]) Varr. de l. l. V 21. V 58. VII 51. Serv. interpol. Aen. III 537. IV 45. VIII 95. — Fest. p. 253a2. Cic. de rep. II 31,54. Senec. epist. 108,31. — Cic. de divin. II 18,42. — Fest. p. 317b32. Serv. interpol. Aen. I 398. libros et commentarios augurales vel augurum diversos non fuisse demonstravit Regell, de augur. publ. libr. p. 30 sqq.

[4]) de l. l. VI 14: „In libris Saliorum quorum cognomen Agonensium, forsitan hic dies ideo appelletur potius Agonia".

[5]) Cic. de off. I 11,36. Liv. I 32,5. IX 9,3. XXXVIII 46,12. Serv. Aen. VII 695. X 14. Arnob. adv. nat. II 67.

[6]) CILVI 1 p. 460 sqq. et 864. VI 4b p. 3261 sqq. Guil. Henzen, Acta fratrum Arvalium, Berol. 1874.

quissimum collegium pontificum pertinent, cuius praeter pontifices etiam rex sacrorum, flamines, virgines Vestales erant. penes quod erat observatio totius ritus Romani. praeterea pontifices antiquissimas leges apud se repositas et reconditas habebant,[1]) ut eorum libri maximi essent momenti et quod attinet ad totum cultum et ad antiquissimum ius civile. quantum valuerint, iam inde cognoscitur, quod Varronis temporibus antiquus Romanorum cultus ritusque, qui externis religionibus Romam advectis perturbatus erat, solis ex illis libris pontificum cognosci poterat.[2]) quae cum ita essent, tamen libri pontificum non publici iuris, sed abditi erant[3]) neque alius quisquam eos adire poterat nisi pontifices. eam ob causam magnae eorum partes nobis servatae non sunt, sed omnia fere cultu Romanorum exstincto perierunt. ita praeter decreta et responsa certe nihil fere nobis traditum esset, nisi pontifices etiam iuris civilis antiquissimas leges, quae artissime cum caerimoniis et cultu deorum coniunctae erant, apud se repositas habuissent. quae cum omnia antiqua lingua conscripta difficilia essent ad intellegendum, paulo post praeter pontifices viri docti et grammatici et iuris periti exoleta verba praeceptaque difficilia et obscura explicare susceperunt, quibus imprimis debemus, quod de libris pontificiis plus nobis traditum est quam de scriptis ceterorum omnium sacerdotum. hoc modo omnia quae nobis nota sunt per scriptorum opera maximeque grammaticorum et compilatorum aut dispersa sunt aut latent. nunc nostrum est omnia, quae ex libris pontificiis repetita esse pro certo haberi potest, denuo componere itaque aperire, quae illi continuerint et complexi sint.

Libros pontificios in complures partes divisos fuisse

---

[1]) Valer. Maxim. II 5,2.

[2]) cf. Ambrosch, Prooem. quaest. pont. p. 4.

[3]) Valer. Maxim. II 5,2: „Jus civile per multa saecula inter sacra caerimoniasque deorum immortalium abditum solisque pontificibus notum . . . . . .“ Liv. IV 3,9.

iam supra dictum est. omnia, quae de eis dici possunt, paucis complexus est Georg. Wissowa, Rel. u. Kult. p. 5: „Kaum eine der einzelnen Priesterschaften hat ihrer Aufzeichnungen entbehrt, wenn auch deren Umfang je nach Bedeutung und Wirksamkeit des betreffenden Priestertums verschieden gewesen sein mag: Mitgliederverzeichnisse, Statuten, Sitzungsprotokolle, Gebetsformulare, Ritualvorschriften u. a. m. machten den Inhalt dieser libri oder commentarii sacerdotum aus, die allerdings zum ueberwiegenden Teile nicht jedermann zugaenglich waren, aber doch durch einzelne schriftstellerisch taetige Mitglieder der betreffenden Kollegien fuer die Oeffentlichkeit ausgezogen wurden." ea librorum pontificiorum pars, quae de caerimoniis pontificibus observandis maximeque in sacrificiis ritu Romano perficiendis praecipiebat, certe parva non fuit, sed haec omnia praecepta in uno libro conscripta fuisse putare vix possumus: multa enim sacrificia certis collegiis solis reservata erant, quorum ipsa praecepta in propriis libris composita fuisse veri simillimum est. cum omnia, quae ad sacerdotes publicos[1]) in universum per-

---

[1]) de his cf. Peter, Quaest. pont. spec. p. 11 sq.: „Apertum est sacerdotes publicos omnes eos fuisse, qui sacerdotio publica populi Romani auctoritate constituto fungerentur, nempe, si liberae rei publicae tempora respicimus, hos: regem, flamines, pontifices, epulones, virgines Vestales, augures, decemviros sive quindecimviros sacrorum, fetiales, salios, fratres Arvales, lupercos, curiones, tribunos celerum, sodales Titios. ex his rex, flamines, virgines Vestales, epulones artissimo vinculo cum pontificum collegio coniuncti erant; nam regem et flamines ipsum collegium complectebatur, virgines Vestales cum flaminibus quasi in potestate patria pontificis maximi vitam degunt. itaque cum de flamine Diali et de flaminica atque de virginibus Vestalibus exploratum sit in libris de sacerdotibus praecepta sacra propagata esse, idem de rege sacrorum, de flaminibus Martiali et Quirinali eorumque uxoribus, de epulonibus ratione illa, qua cum pontificibus coniuncti erant, adiuti assequimur. prorsus vero ab hac communione segregandos esse decemviros sive quindecimviros sacrorum inde colligendum est, quod sacra eorum a prisco ritu Romano prorsus aliena erant:

tinentia ad illos referri possunt, iam a Rud. Petero collecta sint, etiam ea, quae de caerimoniis pontificibus in sacrificiis observandis praeceperunt, componere operae pretium est.

Quae cuique deo hostiae gratae acceptaeque essent[1]) quidque in ritu sacrificiorum observandum esset, in libris pontificiis accuratissime perscriptum erat[2]); si enim qua in re caerimoniae non diligenter essent observatae[3]), statim piaculum commissum esse putaretur. quod attinet ad ipsa sacrificia, praecepta de ritu Romano et Graeco discernenda sunt, sed libros ut appellantur pontificii vel pontificales praecepta de caerimoniis eorum modo sacrificiorum praebuisse, quae collegii erant pontificum eorumve qui cum hoc coniuncti erant[4]), per se patet. sacrificia Graeci ritus decemvirorum vel quindecimvirorum[5]) erant et ab antiquo ritu Romano maxime abhorrent[6]). ut exemplum afferam, ritu Graeco non observabatur[7]), ut diis maribus mares hostiae, feminis feminae immolarentur[8]). etiamsi interdum libros pontificios etiam nonnullorum sacrificiorum Graeci

---

reliquorum sacerdotum publicorum caerimonias ac iura ad libros de sacerdotibus pertinuisse certa vestigia probant".

[1]) cf. Cic. de leg. II 12,29: „Jam illud ex institutis pontificum et haruspicum non mutandum est, quibus hostiis immolandum quoique deo, cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui feminis."

[2]) cf. Macrob. Sat. III 5,8. Serv. interpol. Aen. II 351. XII 172.

[3]) cf. Serv. interpol. Aen. IV 646: „Et sciendum siquid caerimoniis non fuerit observatum, piaculum admitti." Serv. Aen. VIII 110: „. . . . ne interruptione sacrificii . . . . piaculum committeretur".

[4]) rex, flamines, virgines Vestales.

[5]) cf. Wissowa, Rel. u. Kult. p. 461 sqq.

[6]) de ritu Romano et Graeco cf. Marquardt, Roem. Staatsverw. III² p. 186 sq. Wissowa Rel. u. Kult. p. 354 sq.

[7]) cf. Stengel in Annal. Philol. CXXXIII (1886) p. 324 sqq.; C. Krause, De Romanorum hostiis quaestiones selectae (diss. Marp. 1894) p. 19 sqq.

[8]) cf. Cic. de leg. II 12,29.

ritus mentionem quidem fecisse arbitremur, cum pontifices talibus interfuisse[1]) ab antiquis scriptoribus affirmetur, tamen hanc opinionem falsam esse facile intellegetur: tantum eam ob causam, quod magistratus rei publicae causa iusserant, pontifices talibus sacrificiis publicis, quae Graeco ritu fiebant, interfuerunt. cum libros pontificios nihil aliud praecepisse, nisi quae sacrificia pontificibus, regi, flaminibus, virginibus Vestalibus essent perficienda[2]) quibusve hos interesse oporteret[3]), supra dixerimus, hi autem custodes fuerint antiquissimi ritus Romani, sacrificia potissimum, quae dis indigetibus mactabantur, nobis spectanda esse apparet. etiamsi in paucis modo sacrificiis publicis ritus Romani explanandis scriptores veteres ipsis verbis affirmant vel pontifices vel regem vel flamines rem divinam fecisse, tamen de omnibus sacrificiis dis indigetibus Italisve dis novensidibus ritu Romano perficiendis libros pontificios verba fecisse pro certo haberi potest. quoniam autem pontifices sacerdotes publici re vera sacris solis publicis praeerant, sacra privata, de quibus pauca tradita sunt quaeque certis legibus subicere vix licet, ad nostras quaestiones non pertinent. attamen libros pontificum de parentationibus et de caerimoniis in funeribus observandis praecepta praebuisse ex scriptorum testimoniis apparet[4]). de popularibus autem sacris[5]), quibus pontifices populusque

[1]) Ut exemplum afferam, pontifices atque virgines Vestales sacris Argeorum interfuisse testimonio sunt Dion. Hal. I 38,3. Varr. de l. l. VII 44. Paul. p. 15,12. Ovid. fast. V 621 sq. Plut. quaest. Rom. 86. de Argeis cf. Wissowa, Gesammelte Abhandlungen zur roemischen Religions- und Stadtgeschichte (Monach. 1904) p. 211 sqq.

[2]) cf. Bouché-Leclercq, Les pontifes p. 93 sqq.

[3]) Ritus confarreationis pontificibus observandus erat, ut exemplo utar; cf. Bouché-Leclercq, Les pontifes p. 202 sqq. Wissowa, Rel. u. Kult. p. 337.

[4]) cf. Varr. de l. l. V 23. Cic. de leg. II 22,57 sq. Serv. interpol. Georg. I 270. Serv. Aen. XII 603. Macrob. Sat. I 16,25. Preibisch, Quaest. de libr. pont. p. 39.

[5]) cf. Fest. p. 253a13. Wissowa, Rel. u. Kult. p. 334 sq.

intererant, praecepta caerimoniarum, quae populo erant observanda, fuisse pro certo haberi potest. cum pontificibus Romanis solus ritus Romanus custodiendus esset, etiam tota Etruscorum haruspicatio ad eos non pertinens a nostris quaestionibus abhorret. omnia praecepta haruspicationis de futuris rebus cognoscendis Romanorum non sunt. quamquam a temporibus secundi belli Punici in nonnullis sacrificiis publicis etiam Romae adhibebantur, tamen non erant pontificum. hi ex extis hostiarum id solum cognoscere volebant, hostiane deis accepta esset.[1]) quam ob causam etiam ea, quae Trebatius Testa in Macrob. Sat. III 5,1 de duobus hostiarum generibus[2]) in medium protulit, non ad antiquum ius sacrorum Romanum, sed ad haruspicium pertinent: nam in omnibus sacrificiis deis sola exta offerebantur.[3])

Quod attinet ad ipsa sacrificia, antiquissimis temporibus deis hostiae non immolabantur, sed primitiae frugum vel dapes ac liba, quae ex eis comparata erant. quae sacrificia etiam postea, cum deorum cultus apud sacerdotes publicos erat, partim servabantur partim quasi praefationes sacrorum adhibebantur.[4]) cum in sacrificiis publicis semper ceteri quoque omnes di invocarentur,[5]) his potissimum ante ipsum sacrificium vinum tura liba, id quod semper fieri solebat, offerri fortasse concludi potest. quod vinum quoque et mola salsa semper in frontem victimarum iniciebantur[6]),

---

[1]) cf. Wissowa, Rel. u. Kult. p. 353.

[2]) Macrob. Sat. III 5,1: „. . . . unum in quo voluntas dei per exta disquiritur, alterum in quo sola anima deo sacratur, unde etiam haruspices animales has hostias vocant“. cf. etiam Serv. interpol. Aen. IV 56. II 119. Serv. Aen. III 231. Magni gloss. libri glossae Verg. nomine insignes A. 425 (Thilo et Hagen, Serv. gramm. qui f. in Verg. comm. III 2) = Corp. gloss. Lat. V 7,26. Macrob. Sat. III 5,5.

[3]) cf. Wissowa, Rel. u. Kult. p. 352 sq.

[4]) In sacris privatis omnibus temporibus in usu fuerunt.

[5]) cf. Macrob. Sat. I 9,9. Serv. Aen. I 292. VIII 103.

[6]) cf. Fest. p. 141a31. Serv. Aen. III 178. II 133.

ad antiquissimum sacrorum ritum respicere videtur[1]. de hostiis et victimis omnia diligentissime composuit C. Krause, De Romanorum hostiis quaestiones selectae (diss. Marp. 1894) ita ut nihil nobis adiciendum sit.[2]

Libri pontificii a scriptoribus Romanis eadem ratione qua libri augurales maxime duobus titulis appellantur: vel libri pontificum vel commentarii. cum primo libri et commentarii duo genera pontificiorum librorum fuisse putarentur, eos diversos non fuisse, ut iam supra dictum est, Preibisch[3] maximeque Regell[4] satis diligenter explanarunt.[5] sed etiam aliis appellationibus, cum eosdem pontificum libros significare volebant, scriptores usi sunt itaque hoc loco omnes eas, quas in eis legendis invenimus, componere nobis liceat: nominantur libri pontificii apud Varr. de l. l. V 98 (fr. 82). Cic. de rep. II 31,54; de nat. deor. I 30,84. Fest. p. 356a18 — libri pontificales: Serv. Georg. I 344 (fr. 137). I 21; Aen. VII 190. XII 603; Ecl. V 66. Serv. interpol. Georg. I 270. Senec. epist. 108,31 — *τὰ ποντιφικάλια βιβλία*: Lyd. de mens. IV 25 (p. 83,12 W.) (fr. 21 adn.) — libri pontificum: Fest. p. 189a9 (fr. 110)[6]. Macrob. Sat. I 12,21 (fr. 150). Cic. de orat. I 43,193. Horat. epist. II 1,26[7] — *αἱ τῶν ἱεροφαντῶν γραφαί*: Dion. Hal. VIII 56,1[8] — libri sacerdotum populi Romani: Gell. Noct. Att. XIII 23,1 (fr. 36) — commentarii pontificum: Plin. Nat. hist. XVIII 14 (fr. 140).

---

[1]) cf. Wissowa, Rel. u. Kult. p. 346 sq.

[2]) cf. etiam Wissowa, Rel. u. Kult. p. 347 sqq.

[3]) Quaest. de libr. pont. p. 2.

[4]) De augur. publ. libr. p. 30 sqq.

[5]) cf. etiam Marquardt, Roem. Staatsverw. III² p. 300 adn. 4. Wissowa, Rel. u. Kult. p. 5 adn. 6.

[6]) Non inepte libri pontificum suppleti sunt a Muellero apud Fest. p. 154b9 (fr. 157).

[7]) cf. Porphyr. ad Horat. epist. II 1,26: „Utrum annales an ius pontificale signif(icat)?"

[8]) Ea quae Dion. hoc loco praebet potius in annalibus maximis fuisse statuit Preibisch, Quaest. de libr. pont. p. 3.

Cic. de domo 53,136; Brut. 14,55. Liv. IV 3,9. VI 1,2. Quintil. VIII 2,12 — commentarii sacrorum pontificalium: Fest. p. 286b17 (fr. 56 adn.) — commentarium sacrorum: Fest. p. 165a 3 (fr. 68). 161a 16 (fr. 23 adn.). 360b17. — decreta pontificum, quae in libris reposita esse supra diximus, compluribus locis citantur; cf. Gell. Noct. Att. V 17,2 (fr. 97). II 28,3 (fr. 164). IV 6,10 (fr. 51 adn.). Liv. XXVII 37,4. Cic. de leg. II 23,58. a. — sed etiam interdum utebantur scriptores Romani appellationibus, quae aut aliis verbis libros pontificios significant aut se ad eos respicere vel ab eis repetitas esse indicant: Fest. p. 141a25: „Cloatius etiam [et Aelius] in libris sacrorum[1]) molucrum esse aiunt" e. q. s. — Serv. interpol. Georg. I 270 (fr. 170 adn.): „...... cautum in libris sacris[2]) est" e. q. s. — Dion. Hal. X 1: „..... *κομιδῇ δ᾽ὀλίγα τινὰ ἐν ἱεραῖς ἦν βίβλοις ἀποκείμενα, ἃ νόμων εἶχε δύναμιν" κτλ.* — Cic. de leg. II 12,29 (fr. 52): „Iam illud ex institutis pontificum et haruspicum non mutandum est" e. q. s. — Macrob. Sat. III 2,3 (fr. 91): „Nam et ex disciplina haruspicum et ex praecepto pontificum verbum hoc sollemne sacrificantibus est" e. q. s. — Serv. interpol. Georg. I 270: „Sed qui disciplinas pontificum interius cognoverunt" e. q. s. — Serv. interpol. Aen. XII 172 (fr. 28): „Sed disciplinam caerimoniarum[3]) secutus est" e. q. s. — Serv. interpol. Aen. IV 137: „Vetere caerimoniarum iure praeceptum est, ut flaminica venenato operta sit". — Serv. Aen. IX 624 (fr. 100b): „,Iuvencum' autem secundum Romanas caerimonias dixit" e. q. s. — Serv. interpol. Aen. IV 374 (fr. 112): „Sane etiam hic mentio caerimoniarum inducitur"

---

[1]) Libri sacrorum praeterea commemorantur a Serv. interpol. Aen. III 287. IX 406; Ecl. VII 31.

[2]) Libri sacri etiam nominantur apud Serv. interpol. Aen. II 143.

[3]) Libri caerimoniarum commemorantur a Tacit. Annal. III 58.

e. q. s. — Serv. interpol. Aen. IV 262 (fr. 11): „Veteri enim religione pontificum praecipiebatur“ e. q. s. — Serv. interpol. Aen. VIII 552 (fr. 12): „Etenim veteri sacrorum ritu neque Martialis neque Quirinalis flamen omnibus caerimoniis tenebatur, quibus flamen Dialis“ e. q. s. — Serv. interpol. Georg. I 21 (fr. 33): „More pontificum,[1] (per) quos ritu veteri in omnibus sacris“ e. q. s. — Serv. Aen. V 77 (fr. 47): „‚Rite‘ secundum ritum sacrificii, quo exigebatur“ e. q. s. — Serv. Aen. III 231 (fr. 94): „Sane sciendum iterationem hanc fieri secundum ritum sacrorum“ e. q. s. — Serv. Aen. III 178 (fr. 69): „‚Intemerata‘ rite perfecta, ut, si leniter vinum fundendum est aut mola inicienda, sic fiant ut ratio exigit sacrificii“. — Serv. Aen. I 736 (fr. 101): „‚Laticum libavit honorem‘ more sacrorum: et tangit ritum Romanorum“ e. q. s. — Arnob. adv. nat. VII 24 (fr. 90): „Quid sibi reliqua haec volunt magorum cohaerentia disciplinis, quae in sacrorum reconditis legibus“ e. q. s. — Serv. interpol. Aen. II 351 (fr. 32): „Et iure pontificum[2] cautum est, ne suis nominibus dii Romani appellarentur, ne exaugurari possint“. — cum supra dictum sit solos pontifices libros suos adire potuisse eosque solos eorum interpretes fuisse, etiam omnes loci, quibus verba, responsa, auctoritates pontificum a veteribus scriptoribus tradita sunt, re vera ad pontificios libros respiciunt; cf. Varr. de l. l. V 23 (fr. 170 adn.). VI 21 (fr. 109). Liv. XXVII 25,8 (fr. 54). Macrob. Sat. I 16,9 (fr. 8a); 15,18 (fr. 103); 16,25 (fr. 174). Serv. interpol. Aen. II 141 (fr. 31); Georg. IV 379 (fr. 147). Lyd. de mens. IV 94 (p. 139,5 W) (fr. 126 adn.). — sed etiam alia testimonia, cum rerum

[1]) cf. etiam Serv. interpol. Aen. IV 577 (fr. 102).

[2]) Commemoratur ius pontificale in Cic. de leg. II 22,57, pontificium ius in Cic. de leg. II 23,58 a. Pontificum et aruspicum documentorum mentionem fecit Ps. Acro ad Horat. carm. I 12,59.

sacrarum pontificaliumve mentionem faciunt easve explanare volunt, libros pontificios ultimum fontem habere vel in eis commemorata fuisse ex ipsis eorum verbis per se patet. huc spectant omnes loci, qui utuntur harum appellationum auctoritate: in sacris,[1]) in sacrificiis,[2]) verbum sacrorum,[3]) sacerdotum verbum,[4]) verbum sacrificantum,[5]) sacrorum est.[6]) — praeter has notas aliae sunt, quae verba scriptorum ex praeceptis quibusdam pontificum hausta esse indicant. huc spectant omnia fere testimonia, quae praecepta praebent de caerimoniis, quae singulis pontificibus[7]) vel sacrificantibus[8]) in sacrificiis offerendis aliisque rebus sacris erant observandae, iique loci, qui quando singulos sacerdotes singulis deis

---

[1]) Fest. p. 250b29 (fr. 44). Paul. p. 82,8 (fr. 5). Serv. Aen. VI 741 (fr. 20). IX 641 (fr. 73). Serv. interpol. Aen. IV 683 (fr. 6). Macrob. Sat. I 9,15 (fr. 35). a.

[2]) Paul. p. 222,17 (fr. 24). a.

[3]) Serv. Aen. VIII 106 (fr. 40). VI 248 (fr. 75). Serv. interpol. Aen. II 140 (fr. 64). IV 57 (fr. 74 adn.). Serv. Aen. X 228 (fr. 167 adn.).

[4]) Serv. Georg. II 194 (fr. 92). Serv. interpol. Aen. II 119. (fr. 81).

[5]) Lact. Plac. ad Stat. Theb. V 641 (fr. 85b.).

[6]) Serv. Aen. II 104 (fr. 65).

[7]) Varr. de l. l. V 130 (fr. 19). VI 21 (fr. 143). Fest. p. 348a25 (fr. 16). 348a4 (fr. 78). 329a18 (fr. 166). Paul. p. 93,2 (fr. 9a). 93,6 (fr. 9b). 93,9 (fr. 10). 64,17 (fr. 14). 113,18 (fr. 15). 4,1 (fr. 17). 18,11 (fr. 42). 10,1 (fr. 76). Serv. Aen. II 148 (fr. 167). Serv. interpol. Aen. IV 137 (fr. 15); Georg. I 268 (fr. 8a). Macrob. Sat. I 17,15 (fr. 37). Porphyr. ad Horat. carm. I 31,11 (fr. 43). Schol. Iuv. VI 343 (fr. 45). Gloss. Plac. V 22,2 (fr. 77).

[8]) Plin. Nat. hist. XVI 24 (fr. 3). Serv. Aen. XI 2 (fr. 4). II 134 (fr. 62). XI 339 (fr. 126). Serv. interpol. Aen. IV 219 (fr. 29). IX 641 (fr. 46). Macrob. Sat. III 5,8 (fr. 63). I 16,3 (fr. 93).

sacrificare[1]) vel quas hostias certis diebus offerri[2]) necesse fuerit,[3]) certiores nos faciunt. — eodem modo etiam alii loci, qui praecepta de caerimoniis in sacrificiis observandis praebent, facile ad libros pontificios ut ad ultimum fontem revocantur. praeterea omnia vocabula certarum hostiarum et universi apparatus, quo ad sacra perficienda opus erat, in libris pontificum fuisse per se patet, quoniam de omnibus rebus ad pontifices et sacra administranda pertinentibus verba fecerunt. omnia huiusce modi vocabula diligenter composuit Maximil. Kretzer, De Romanorum vocabulis pontificalibus, diss. Hal. 1903.

Cum iam mature significationes antiquorum verborum et vocabulorum, quibus libri praeceptaque pontificum erant conscripta, obscuratae essent[4]), haec autem in cultu potissimum deorum servari necesse esset, quia si non fieret piaculum committi putabatur, iam antiquis temporibus viri docti exoleta verba praeceptaque obscura in medium proferre et explicare susceperunt. in primis, qui populum difficilioribus rebus pontificalibus erudire volebant, quorum nomina nobis tradita sunt, erant Tib. Coruncanius[5]),

---

[1]) Cic. de orat. III 19,73 (fr. 105). Varr. de. l. l. VI 12 (fr. 98). VI 16 (fr. 108). Paul, p. 57,19 (fr. 165). Ovid. fast. IV 907 (fr. 139). Gell. Noct. Att. VII 7,7 (fr. 152). Serv. Aen. VIII 190 (fr. 129). Serv. interpol. Aen. VIII 183 (fr. 124). Schol. Veron. in Verg. Aen. I 259 (fr. 160). Macrob. Sat. I 15,19 (fr. 116). I 10,7 (fr. 155). III 2,12 (fr. 161). Tertull. de spect. 5 (fr. 142). Plut. quaest. Rom. 63 (fr. 162); Rom. c. 4 (fr. 152). Lyd. de mens. IV 72 (p. 124,6 W) (fr. 131).

[2]) Varr. de l. l. VI 15 (fr. 131). VI 16 (fr. 108). Fest. p. 253a17 (fr. 1). Paul. p. 57,19 (fr. 165). Ovid. fast. IV 907 (fr. 139). Macrob. Sat. I 15,19 (fr. 116).

[3]) cf. Serv. interpol. Georg. I 270: „Sane quae feriae a quo genere hominum vel quibus diebus observentur, vel quae festis diebus fieri permissa sint, siquis scire desiderat, libros pontificales legat.“

[4]) cf. carmen Saliare et carmen fratrum Arvalium.

[5]) cf. Cic. Brut. 14,55: „Ti. Coruncanium (sc. possumus suspicari disertum), quod ex pontificum commentariis longe plurimum ingenio valuisse videatur“. Plin. Nat. hist. VIII 206 (fr. 55).

ille pontifex maximus primus ex plebe creatus, et Q. Fabius Pictor.[1]) qui sive idem est, qui Latinos annales condidit[2]), sive alius quidam, certe erat peritissimus et iuris et litterarum et antiquitatis.[3]) hic igitur opus de iure pontificio conscripsit et cum eum primum perpetuas de rebus pontificalibus quaestiones in medium protulisse et explicasse constet, universas litteras de iure pontificio[4]) condidisse iure quidem dici potest. hic Fabius Pictor certe magna cum diligentia iuri pontificum studuit, cum ex eius fragmentis ipsi pontificii libri loqui videantur[5]). cum antiquis temporibus tota iuris peritia esset pontificum, etiam postea hanc cum doctrinis praeceptisque eorum artissime coniunctam fuisse perspicuum est. hac ratione omnes illi libri orti sunt, qui de iure pontificio, de iure

---

[1]) cf. Non. p. 544,22 M (fr. 23). Serv. interpol. Georg. I 21 (fr. 136). Macrob. Sat. III 2,11 (fr. 161).

[2]) Auctorem Latinorum annalium et librorum de iure pontificio eundem Fabium Pictorem putatum esse a Nonio apparet ex verbis eius in p. 518,34 M: „Fabius Pictor Rerum Gestarum lib. I." et 518,36: „idem Juris Pontificii lib. III." eundem Q. Fabium Pictorem etiam Gell. Noct. Att. I 12,14 significavisse videtur; cf. H. Peter, Historicorum Rom. reliquiae I p. CLXXVIII sqq. Rud. Peter, Quaest. pont. spec. p. 7 adn. 3. sed cum Latinos annales conversionem modo Graecorum Q. Fabii Pictoris annalium scriptoris fuisse veri simillimum sit, idemque etiam libros de iure pontificio Latina lingua conscripsisse vix putari possit, alius quidam eiusdem nominis auctor librorum de iure pontificio fuisse habendus esse videtur. cum Cic. Brut. 21,81 Serv. Fabium Pictorem quendam et iuris et litterarum et antiquitatis bene peritum fuisse affirmet, hunc auctorem illorum librorum de iure pontificio fuisse veri simile mihi esse videtur, nisi forte postea clarissimo illi Q. Fabio Pictori annalium scriptori suppositi sunt. Q. Fabium Maximum Servilianum (cf. Macrob. Sat. I. 16,25 [fr. 174]) auctorem fuisse probabile mihi non videtur.

[3]) Cic. Brut. 21,81. Gell. Noct. Att. I 12,14. X 15,1.

[4]) Omnium fragmenta collegerunt E. Huschke, Jurisprudentiae Anteiustinianae quae supersunt (ed. IV 1879) et F. P. Bremer, Jurisprudentiae Antehadrianae quae supersunt, Lips. 1896. 1898. 1901.

[5]) cf. Peter, Quaest. pont. spec. p. 7 sq.

sacrificiorum, de religionibus conscripti sunt[1]. scriptorum iuris pontificii praeter Fabium Pictorem in primis nominari possunt Q. Fabius Maximus Servilianus pontifex,[2] L. Cincius[3], Ciceronis fere aequalis, qui distinguendus est a L. Cincio Alimento annalium scriptore, Veranius,[4] C. Trebatius Testa. clarissimi omnium erant temporibus Augusti imperatoris M. Antistius Labeo et C. Ateius Capito, qui universam iurisprudentiam omnium, qui ante eos fuerunt, complexi sunt. sed etiam horum omnium virorum opera tota fere perierunt, quod factum esse antiquitatum studiosi semper lugebunt, quoniam, si non evenisset, omnia ea, quibus nunc operam damus, multo essent apertiora, praesertim cum multi illorum ipsi fuerint pontifices ipsosque viderint libros pontificios. perpauca modo fragmenta per opera grammaticorum et eorum, qui antiquitatibus studuerunt, dispersa sunt[5]. praeter iuris peritos maxime grammatici in explicandis verbis priscis multa, quae ad pontificales res pertinent, protulerunt et hoc modo effecerunt, ut nonnulla quidem nobis magis sint perspicua. horum clarissimi sunt L. Aelius Stilo, M. Terentius Varro, P. Nigidius Figulus, M. Verrius Flaccus, C. Julius Hyginus. sed horum quoque scriptorum operum parva modo pars ab interitu servata est. libri Nigidii Figuli[6] et Julii Hygini toti fere perierunt, Aelii Stilonis studia ex solis Varronis discipuli libris cognoscuntur, quorum ipsorum ne maior quidem pars ad nos pervenit. maxime dolendum est, quod libri de antiquitatibus rerum divinarum et humanarum

---

1) cf. Wissowa, Rel. u. Kult. p. 5.

2) Macrob. Sat. I 16,25 (fr. 174).

3) Fest. p. 330a33 (fr. 79). 218a17 (fr. 132). 277a17 (fr. 153 adn.). 329a18 (fr. 166). Macrob. Sat. I 12,18 (fr. 149).

4) Fest. p. 158b28 (fr. 70a). 250b25 (fr. 134). Macrob. Sat. III 5,6 (fr. 58). III 2,3 (fr. 91).

5) cf. Kretzer, de Rom. vocab. pont. p. 13 sqq.

6) Fragmenta eius collegit A. Swoboda, Vindobonae 1889.

compositi servati non sunt.[1]) magni operis Verrii Flacci de verborum significatu parva pars in epitomis Festi et Pauli tradita est. denique ad scientiam rerum sacrarum afferunt illi scriptores, qui ipsi in litteris fere rudes libros virorum doctorum excerpserunt et compilaverunt, sed quid libris aliorum debeant, quid ipsi addiderint, hic maxime distinguendum est. inde sequitur, ut scriptorum Latinorum, qui de rebus sacris quaestiones nobis tradiderunt, maxime sint spectandi Varronis libri de lingua Latina et de re rustica, Festi Paulique epitomae ex Verrii Flacci magno opere de verborum significatu, C. Plinii Secundi Naturalis historia, A. Gellii Noctes Atticae, Servii et interpolatoris eius commentarii in Vergilii carmina, Macrobii Saturnalia. praeter hos nonnulla praebent Cicero, Ovidius in fastis, Plutarchus in quaestionibus Romanis et vitis suis, Arnobius in libro qui inscribitur adversus nationes, Nonius Marcellus. cum quaestiones nostrae permultis locis cum Rud. Peteri et Maximil. Kretzeri quaestionibus congruant, qui de rebus pontificalibus sacrisque cum illis auctoribus cohaerentibus iam diligenter egerunt, de his pauca modo nobis repetenda vel adicienda sunt, quae ad nostras potissimum quaestiones pertinent.

Primus igitur eorum, qui fragmenta de rebus sacris praeceptorum memoriae tradiderunt quorumque libri quidam ad nos pervenerunt, fuit M. Terentius Varro. eum, cum discipulus fuerit L. Aelii Stilonis, in huius quoque studiis perseveravisse et sententias eius permultis locis recepisse iam per se patet et plane affirmatur a Cicerone in Brut. 56,205 sq.: „L. Aelius . . . . . fuit . . . . . eruditissimus et Graecis litteris et Latinis: antiquitatisque nostrae et in inventis rebus et in actis scriptorumque

---

[1]) Dispositio antiquitatum rerum divinarum servata est apud August. de civit. Dei VI 3. fragmenta librorum I. XIV. XV. XVI. collegit R. Agahd in Annal. Philol. Suppl. XXIV p. 1 sqq. cf. praeterea R. Merkel, Proleg. in Ovid. Fast. p. CVI sqq. E. Schwarz in Annal. Philol. Suppl. XVI p. 407 sqq.

veterum litterate peritus[1]): quam scientiam Varro noster acceptam ab illo auctamque per sese, vir ingenio praestans omnique doctrina, pluribus et illustrioribus litteris explicavit."[2]) Aelius nonnullis locis a Varrone ipso in libris de lingua Latina laudatur,[3]) semper autem hoc uno nomine, quod Aelium Stilonem intellegendum esse apparet, et Varronem illius libros re vera saepissime exscripsisse ostendit Ric. Reitzenstein in libro qui inscribitur M. Terentius Varro und Iohannes Mauropus von Euchaita (Lips. 1901). Varronem maximam fere partem ex scriptis virorum doctorum compilavisse et pro rata parte pauca ipsum adiecisse ex his iure concludi potest. quae sententia magis fit perspicua, cum ἐτυμολογίαι Varronis cum eis, quas Festus ex Verrii Flacci de verborum significatu opere conscriptas praebet, comparantur. sed grammatica studia Varronis ad nostras quaestiones minus pertinent, praesertim cum quod attinet ad verborum priscorum veriloquia, quae Varro composuit, diligenter egerit Maximil. Kretzer, de Rom. vocab. pont. p. 5 sqq.: nobis hic ea spectanda sunt, quae Varro de praeceptis pontificalibus et rebus sacris tradidit. quamquam Aelius etiam glossas conscripsit, quae ad res sacras pertinebant,[4]) tamen

---

[1]) cf. etiam Varr. de l. l. VII 2: „Aelii hominis in primo in litteris Latinis exercitati . . . . . ."

[2]) cf. etiam Gell. Noct. Att. I 18,2. III 3,12. X 21,2. XVI 8,2.

[3]) V 18. 21. 25. 66. 101. VI 7. 59. VII 2.

[4]) Hoc sequitur ex Festi epitoma, quae Aelii nomen in his glossis ad res sacras pertinentibus servavit: p. 141a 28 v. Molucrum. 193a 4 v. Obstitum. 277a 21 v. Refriva faba. 309a 26 v. Subuculam. 317b 24 v. Sanctum. 371b 6 v. Victimam. verba „Sub vos placo in precibus cum dicitur" e. q. s. post glossam ‚Subuculam' (p. 309a 25) etiam ab Aelio Stilone esse repetita putat Kretzer p. 7. in explanatione carminum Saliarium (cf. p. 141a 28 v. Molucrum. Varr. de l. l. VII 2) Aelius certe multas

nomen eius in talibus glossis a Varrone servatum non est. ut iam supra dictum est, antiquitates eius rerum divinarum ad nos non pervenisse maxime lugendum est, cum in his libris certe omnia, quae ad deos et cultum eorum pertinent, maxima cum diligentia composuerit et antiquissimis optimisque fontibus usus sit. in libros de lingua Latina prae antiquitatibus pauca illorum recepta sunt et quo ex fonte scientiam librorum pontificiorum hauserit vix cognosci potest.[1]) ipsi libri pontificii uno loco (V 98; fr. 82) ab eo commemorantur. in rebus sacris, quae nobis quaerentibus magni sunt momenti, ab aliis scriptoribus nomen Varronis servatum est his locis, qui omnes certe hausti sunt ex fonte antiquitatum rerum divinarum[2]): Serv. interpol. Aen. III 134 (fr. 2): „Sane Varro rerum divinarum refert inter sacratas aras focos quoque sacrari solere . . . . ." Macrob. Sat. I 15,18 (fr. 103): „Ut autem Idus omnes Iovi ita omnes Kalendas Iunoni tributas et Varronis et pontificalis adfirmat auctoritas." Macrob. Sat. III 2,11 (fr. 161): „Varro etiam in libro quinto decimo rerum divinarum ita refert, quod pontifex in sacris quibusdam vitulari soleat . . . . ." Gell. Noct. Att. II 28,3 (fr. 164): „Eas ferias (sc. cum terra moverat) si quis polluisset piaculoque ob hanc rem opus esset, hostiam ‚si deo, si deae' immolabant, idque ita ex decreto pontificum observatum esse M. Varro dicit." Fest. p. 158b26 v. Murrata potione (fr. 175 adn.): „Varro in Antiquitatum l. I." prae-

---

glossas ad res sacras pertinentes in medium protulit et explicavit. de scriptis Aelii Stilonis cf. Ferd. Mentz, ‚De L. Aelio Stilone' in Comment. philol. Ienens. IV (1890) p. 17 sqq.

[1]) cf. V 122 (fr. 44). V 112 (fr. 86). VI 12 (fr. 98). VI 16 (fr. 108). VI 21 (fr. 109). VI 15 (fr. 131). VI 16 (fr. 139). VI 21 (fr. 143). VI 13 (fr. 151). VI 23 (fr. 155). de re rust. II 4,16 (fr. 56b). I 29,3 (fr. 91). II 11,5 (fr. 156).

[2]) cf. etiam Serv. interpol. Ecl. V 66. Gell. Noct. Att. X 15,32.

terea Gell. Noct. Att. V 12,12 (fr. 154), ut Hosius quidem putat,[1]) ad Varronis libros respicere videtur.

Glossas Varronis easque, quas Festi Paulique epitomae exhibent, comparatas multis locis, nonnullis verbotenus fere, congruere facile intellegemus.[2]) quae cum ita sint, Verrius autem Varronis libros de lingua Latina nusquam laudet vel citet, uterque, ut iam multi viri docti elocuti sunt,[3]) ex eodem fonte hausisse putandus est. hunc autem unum fontem, ubicumque Varro et Festus concinunt, alius praebuisse nequit nisi Aelius Stilo,[4]) id quod maxime apparet ex glossa ‚Puticuli' in qua uterque nomen eius servavit:

Varr. de l. l. V 25: „..... extra oppida a puteis puticuli, quod ibi in puteis obruebantur homines, nisi potius, ut Aelius scribit, puticulae, quod putescebant ibi cadavera proiecta, qui locus publicus ultra Exquilias."

Fest. p. 217b8: „[Puticulos dicunt esse ap]pellatos, [quod vetustissimum genus sepulturae in pute]is fuerit, [eumque locum fuisse publicum . . . . .] extra p[ortam Esquilinam ..... sed] inde p[otius appellatos esse existimat puticu]los Aeliu[s Stilo quod cum in eum locum patres] familias [pecudes morticinas et] vilia proicer[ent mancipia ibi cadavera] ea putesc[erent]."

praeter Aelium autem Stilonem Festus etiam alium virum doctum auctorem affert, cui idem fuit nomen gentile Aelius: Aelium Gallum. cum in Festi epitoma septem, in Pauli quattuor locis nomen Aelii solum afferatur, his

---

[1]) in praefatione editionis Gellii Noctium Atticarum (Lips. 1903) p. XXXIV sq.

[2]) cf. exempla quae composuit Kretzer p. 9 sq. R. Kriegshammer, ‚De Varronis et Verrii fontibus quaestiones selectae' in Comment. philol. Ienens. VII (1903) p. 77 sqq.

[3]) cf. Kretzer p. 6.

[4]) cf. Kriegshammer p. 122.

utrum Aelius Stilo an Aelius Gallus intellegendus sit, dubium esse possit. sed omnes has glossas excepta una Aelio Stiloni adtribuendas esse demonstravit Ric. Reitzenstein, Verrianische Forschungen p. 88 sqq.[1]) ex his sequitur, ut Aelius Stilo omnium fontium, quos Verrius attulit, saepissime — triginta locis — auctor nominatus sit.

Cum glossas Festi Paulique in universum spectamus, permultas earum nomina vasorum et ad res sacras et ad usum privatum pertinentium et hostiarum quarundam exhibere conspicuum est.[2]) quod attinet ad nomina vasorum praeter Festum Paulumque etiam Nonius Marcellus (p. 543—548 M) multa composuit,[3]) quorum maximam partem ex Varronis libris de vita populi Romani conscriptis haustam esse ipse confitetur. quae cum ita sint, libro quodam de vasis actum esse, ex quo Verrius quidem has glossas exscripserit, veri simile est. Willersi[4]) magis eo inclinat animus, ut Varronis libros de vita populi Romani in vasorum nominibus componendis Verrium exhausisse arbitretur, sed huic sententiae assentiri non possumus, cum glossae utriusque inter se comparatae in vocabulis explicandis nullo fere loco congruant, quod Willers quoque

---

[1]) Bresl. Philol. Abhandl. (1887) vol. I fasc. 4. cf. etiam Kriegshammer p. 74 sqq. nomine Aelio Aelium Stilonem significari plurimis locis ex ipsis glossis cognoscitur, cum Aelium Gallum libros modo de significatione verborum quae ad ius civile pertinent conscripsisse traditum sit; cf. Fest. p. 218b20. 273a15. 302b20. 352b32. 352a5.

[2]) cf. compositiones glossarum apud Henr. Willers, De Verrio Flacco glossarum interprete disputatio critica (diss. Hal. 1898) p. 6 sqq. et 10 sqq.

[3]) p. 547,11 M: armillum (Paul. p. 2,5). p. 531,27: cocula (Paul. p. 39,3). p. 547,1: calpar (Paul. p. 46,17). p. 547,12: capula et capides (Paul. p. 48,9). p. 547,27: creterrae (Paul. p. 53,10). p. 547,3: trulleum, matellio, nassiterna (Fest. p. 169a11). p. 544,3: tinae (Paul. p. 365,1).

[4]) de Verr. Flacc. gloss. interpr. disput. crit. p. 9.

ipse confitetur. itaque uterque, Varro et Verrius, ex eodem fonte, in quo nomina omnium vasorum, quibus Romani et in familiis et in sacris perficiendis utebantur[1]), composita erant, hausisse explicationesque addidisse nobis videtur. quod attinet ad nomina hostiarum, quae composuit p. 10 sqq., Willers maximam eorum partem C. Atei Capitonis libris de iure pontificio adtribuit. sed hic de eis modo glossis iudicari potest, quas exhibet Festus cum Pauli lemmata nimis. mutilata sint, quam ut certum aliquid ex eis colligi possit. cum autem praeterea ex glossis Festi de hostiis duae[2]) sint Veranii quaestionum pontificalium[3]), sententia Willersi minime probari potest. ceterum eae huiusce modi glossae, quae re vera sunt Atei Capitonis[4]), melius huius viri libris de iure sacrificiorum, qui citantur a Macrob. Sat. III 10,3 et fortasse partem quandam librorum de iure pontificio effecerunt, adtribuendae esse videntur.[5]) nonnullas alias glossas, in quibus explicationes vocabulorum additae sunt[6]), libro etymologico cuidam Aelii Stilonis[7]) iure adtribuisse videtur Kretzer[8]). eodem modo quo nomina vasorum etiam liborum componi posse nobis videntur, quorum permulta in epitomis Festi Paulique dispersa sunt: Paul. p. 16,9: Arculata. p. 40,8: Conitum. p. 85,9: Fertum p. 98,4: Glomus. p. 104,18: Janual. Fest. p. 250b30: Pastillum. p. 348a16: [Secivum]. p. 310b25:

---

[1]) cf. de hac re praecipue Willers p. 9.

[2]) p. 250b9: prodiguae hostiae. p. 250b25: praesentanea porca.

[3]) cf. de eis Kretzer p. 16 sq. earum etiam est glossa ‚Muries' (p. 158b28; fr. 70 a.). Kretzer praeterea eis adtribuit verba ‚Pateram perplovere' e. q. s. (p. 250b29; fr. 44).

[4]) p. 238b11: Porcam auream et argenteam (fr. 133). p. 238b16: Pulcher bos. p. 238b17: Propudialis porcus. p. 258a31: Rutilae canes (fr. 140).

[5]) cf. Kretzer p. 22 sq.

[6]) Paul. p. 4,16: Ambegni. p. 57,21: Confeta sus. Fest. p. 371b6: Victimam.

[7]) de hoc libro cf. Mentz p. 20 sq.

[8]) Kretzer p. 23.

Strues. p. 309a25: Subucula. Paul. p. 349,9 Summanalia. sed tantum uno loco auctor allatus est: Fest. p. 309a25: „Subuculam Aelius Stilo et Cloatius isdem fere verbis demonstrant vocari, quod diis detur ex alica et oleo et melle.“ fortasse ex his verbis colligi potest alterum vel utrumque in libro quodam vel in parte quadam libri explicationes liborum composuisse. ipsi libri pontificii prae aliis scriptoribus a Festo saepe citati sunt uso his appellationibus libri pontificum[1]), pontificii libri[2]), libri sacrorum[3]), commentarii sacrorum[4]), commentarii sacrorum pontificalium[5]). lex quaedam Numae Pompili regis in glossa de spoliis opimis[6]) allata est. cum pontifices primo omnes leges servaverint easque praecipue, quae de rebus sacris praecepta dant, hae re vera pars praeceptorum librorumque pontificum putandae sunt. in ceteris glossis, qúae nobis graves sunt, auctores nominantur Cincius, cuius liber de verbis priscis affertur in p. 330b2 v. Scenam (fr. 79)[7]), M. Antisti Labeonis commentarii iuris pontificii,[8]) Cloatius Verus,[9]) cuius libri verborum a Graecis tractorum vel ordinatorum Graecorum a Gellio[10]) et Macrobio[11]) laudantur. eae autem glossae

1) Fest. p. 189a9 (fr. 110).

2) Fest. p. 356a18.

3) p. 141a26.

4) p. 165a3 (fr. 68). 161a16 (fr. 23 adn.). 360b17.

5) p. 286b17 (fr. 56 adn.).

6) p. 189a12 (fr. 110).

7) Praeterea Cinci sunt glossae in p. 218a17: Praecidanea porca (fr. 132), p. 277a17: Refriva faba (fr. 153 adn.), p. 329a18: Salias virgines (fr. 166). duae postremae praeterea haustae sunt ex Aelii Stilonis libris. de Cincio cf. Kretzer p. 18 sq.

8) p. 348b19 v. Spurcum vinum (fr. 48). p. 348a4 v. Secespitam (fr. 78). p. 253a13 v. Popularia sacra. p. 348b24 v. Septimontio (fr. 163). de Antistio Labeone cf. Kretzer p. 20 sqq.

9) p. 318a23 v. Sacrima (fr. 109 adn.). p. 213a27 v. Piacularis porta. de Cloatio Vero cf. Kretzer p. 13 sqq.

10) Noct. Att. XVI 12,1.

11) Sat. III 18,4. 6,2.

Festi, quae de sacris publicis explanationem et explicationem offerunt,[1]) ad fastos Verrii Flacci respicere videntur.[2]) ceterarum glossarum, quae nobis quaerentibus magni sunt momenti, aliae explicationes verborum sacrorum[3]) rerumve exhibent, quas ad ritum sacrificii pertinere ipsarum aperiunt voces,[4]) aliae ad libros pontificum respiciunt, cuius rei testimonia sunt verba aliorum scriptorum. ita illos de parentationibus rituque in funeribus observando[5]) verba fecisse aperiunt Macrob. Sat. I 16,25, cuius loci auctor nominatur Fabius Maximus Servilianus pontifex, et Serv. interpol. Georg. I 270, quo loco praecepta extant librorum sacrorum feriis denicalibus observanda.[6]) libros pontificios verbum ‚februare'[7]) continuisse apparet ex verbis Laurent. Lyd. de mens. IV 25 (p. 83,11 W) eodemque modo, quo illi de confarreatione egerunt, qua pontificem maximum flaminemque Dialem uti necesse erat, etiam de diffarreatione[8]) verba fecerunt itemque de pulvinaribus quibus-

[1]) Paul. v. 10,5: Agonium (fr. 98 adn.). p. 19,6: Armilustrium. p. 93,11: Fornacalia (fr. 127). Fest. p. 327b12: Stultorum feriae (fr. 128). p. 278a6: Regifugium (fr. 162). Paul. p. 267,1: Robigalia (fr. 139). p. 340a7: Septimontium (fr. 164). Paul. p. 374,12: Vinalia (fr. 106). Fest. p. 265a28: Rustica vinalia (fr. 107).

[2]) cf. de eis Willers, de Verr. Flacc. gloss. interpr. disput. crit. p. 37 sqq.

[3]) Fest. p. 363b13 (fr. 39). Paul. p. 12,3 (fr. 49). 244,16 (fr. 66). 244,18 (fr. 80). 21,7 (fr. 83). 104,18 (fr. 99). 64,11 (fr. 115).

[4]) Fest. p. 190b2 (fr. 26). 141a31 (fr. 70). 178b24 (fr. 125). 238a28 (fr. 130). 249b14 (fr. 144). 154b3 (fr. 157). Paul. p. 113,1 (fr. 60). 78,18 (fr. 84). 319,1 (fr. 135). 4,9 (fr. 159).

[5]) Paul. p. 103,4 (fr. 169). 70,9 (fr. 170). 78,1 (fr. 173). 11,14 (fr. 176). Fest. 262a15 (fr. 175).

[6]) cf. etiam Varr. de l. l. V 23. Serv. Aen. XII 603 (fr. 170 adn.).

[7]) Paul. p. 85,16 (fr. 21).

[8]) Paul. p. 74,13 (fr. 113). cf. etiam Serv. interpol. Aen. IV 374 (fr. 112).

que rebus ad hoc sacrificium ritu Romano perficiendum opus esset.[1])

Pergamus ad Plinium. C. Plinius Secundus illud magnum opus quod inscribitur Naturalis historia maxima diligentia conscripsit, quam ad rem se permultis fontibus usum esse ipse confitetur. in primo libro quibus de rebus in singulis libris agatur composuit simulque scriptores eorumque opera enumerat, quae adhibuit ad suos libros conscribendos. cum autem postea auctores plurimis locis non afferat, ubi singulis usus sit quaerendum est. nobis hic iterum ea testimonia gravia sunt, quae de sacrificiis vel hostiis agunt. scriptorum, qui de dis et cultu eorum conscripserunt quorumque operibus Plinius fontibus usus est, gravissimi nominandi sunt Varro, Verrius Flaccus, Nigidius Figulus. librorum Nigidii Figuli, qui in litteris Varroni par existimabatur,[2]) de dis[3]) et de extis[4]) compositi ad res sacras pertinent. uni ex his — de dis puto — etiam verba apud Plin. VIII 206 adtribuenda esse videntur, cum brevi ante (§ 205) Nigidius Figulus ipse auctor nominatus sit.[5]) hoc loco dicit: „Suis fetus sacrificio die quinto purus est, pecoris die VII, bovis XXX“ (fr. 56a). de eadem autem re aliud exhibet Varr. rer. rust. II 4,16 (fr. 56b): „Porci a partu decimo die habentur puri.“ quae testimonia inter se repugnant, sed discrepantia tolli nequit, cum alii scriptores de hac re verba non fecerint. itaque hoc nos contentos esse oportet. praeterea libris Nigidii Figuli verba Tib. Coruncanii de hostiis

[1]) Fest. p. 347b34 (fr. 168).

[2]) Serv. Aen. X 175: „Nigidius solus est post Varronem, licet Varro praecellat in theologia, hic in communibus litteris: nam uterque utrumque scripserunt.“

[3]) Macrob. Sat. III 4,6: „Nigidius de dis libro nono decimo . . . .“

[4]) Gell. Noct. Att. XVI 6,12: „Nigidius in libro quem de extis composuit . . . .“

[5]) cf. F. Muenzer, Beitraege zur Quellenkritik der Naturgeschichte des Plinius (Berol. 1897) p. 356 sq.

ruminalibus (VIII 206; fr. 55) adtribui posse Muenzer[1]) putat. Numae regis legem Plinius citat in XIV 88: „Vino rogum ne respargito. eadem lege ex imputata vite libari diis nefas statuit"[2]) (fr. 50). haec verba Varroni debet, qui paulo post auctor nominatus est. idem apud Festum s. v. ‚Murrata potione' (p. 158b22) citatur,[3]) quae glossa XII tabulis allatis de eadem re verba facit. hoc loco Varronem iterum libros Aelii Stilonis de XII tabulis compositos[4]) exscripsisse[5]) veri simile est, ut hi ultimi fontes Plinii quoque verborum ducendi esse videantur.[6]) ex commentariis pontificum qui auctores nominantur hausta sunt verba in XVIII 14: „Augurio canario agendo dies constituantur" e. q. s. (fr. 140). cum autem Plinius ipse eos exscripsisse existimari nequeat, ei verba eorum tradita sunt ab alio quodam scriptore, haud scio an a Verrio Flacco.[7]) eidem verba quoque de re divina, quae Genitae Manae catulo fiebat, debere videtur (XXIX 58; fr. 158).[8]) in ceteris omnibus praeceptis,[9]) quae de sacrificiis praebet, quibus fontibus Plinius usus sit, certe dici nequit, sed fidem habere eis possumus, cum improbabilia per se non sint ac testimonia aliorum scriptorum non repugnent.

Deinde Gellii libri qui inscripti sunt Noctes Atticae ea de causa magni sunt momenti, quod hic quoque auctor

---

[1]) p. 356 sq.

[2]) cf. Plut. Num. c. 14.

[3]) „Varro Antiquitatum l. I."

[4]) Hi nominantur apud Fest. p. 290b25 v. Sonticum morbum. Cic. de leg. II 23,59. commentarium de XII tabulis Aelium Stilonem conscripsisse negavit F. Mentz, de L. Aelio Stilone (Comment. Ienens. IV) p. 19 sq.

[5]) cf. Ritschl, Opuscula III 178.

[6]) Varronem Numae legum scientiam Cassio Heminae debere putat Muenzer p. 187 sq.

[7]) cf. Muenzer p. 300.

[8]) cf. Muenzer p. 305 sq.

[9]) XVI 24 (fr. 3). X 156 (fr. 57). VIII 183 (fr. 59). XXXIII 39 (fr. 61). XXVIII 11 (fr. 25). XXXI 89 (fr. 71).

omnes fere scriptores, quibus in opere conscribendo usus est, ipse legit. Noctium Atticarum quattuor potissimum capitibus doctrinas de rebus pontificalibus sacrisve nobis praebet: I 12 de virginibus Vestalibus capiendis, X 15 de caerimoniis quae flamini Diali et flaminicae erant impositae, IV 6 de hostiis succidaneis, XVI 6 de hostiis bidentibus. capita de flamine Diali flaminicaque et de virginibus Vestalibus Gellius Fabio Pictori debet, quem ultimum auctorem ipse affert. at huius ipsius libris pontificii iuris ipse non usus est, sed hos demum ex libris Masurii Sabini[1]) discipuli Atei Capitonis (X 15,18) et duodecim tabularum commentariis Antisti Labeonis[2]) (I 12,1) cognovit. nobis illud potissimum caput grave est, quo de hostiis succidaneis et praecidaneis dicitur (IV 6). explicationes vocabulorum, quas Gellius hoc loco praebet[3]), ab eis, quas Paul. p. 223,19 v. ‚Praecidanea agna' et Fest. p. 302a23 v. ‚Succidanea hostia' exhibent, non multum abhorrent eamque ob causam a viris doctis Verrio Flacco adtributae sunt, sed iam Kretzschmer, De A. Gellii fontibus (diss. Gryphisw. 1860) p. 67 utrumque scriptorem ex eodem fonte hausisse veri simile esse affirmavit. hoc Gellius quidem ipse indicare videtur, cum in § 10 librum quintum iuris pontificii Atei Capitonis fontem fuisse aperiat[4]), cuius in verbis etiam fragmenta decreti pontificum de feriis praecidaneis servata sunt. eam ob causam fieri potest, ut totum illud caput Gellii Ateio Capitoni debeatur, et si haec ita sunt, ex-

---

[1]) cf. Peter, Quaest. pont. spec. p. 15. Kretzer, de Rom. vocab. pont. p. 27.

[2]) cf. Peter p. 29. commentariis Labeonis iuris pontificii haec verba adtribuit Huschke, Jurispr. Antei.[4] p. 112.

[3]) IV 6,7 (fr. 51). IV 6,5 (fr. 95).

[4]) IV 6,10 (fr. 51 adn.): „Propterea verba Atei Capitonis ex quinto librorum, quos de pontificio iure composuit, scripsi: Tib. Coruncanio pontifici maximo feriae praecidaneae in atrum diem inauguratae sunt. collegium decrevit non habendum religioni, quin eo die feriae praecidaneae essent."

plicationes hostiarum succidanearum et praecidanearum eiusdem libris de iure sacrificiorum, quos fortasse partem librorum de iure pontificio fuisse supra dictum est, adtribui posse videntur.[1]) verba de Acca Larentia (VII 7,7; fr. 152) Gellius certe ex libris Masurii Sabini sumpsit: nam in proxima iam paragrapho eum auctorem citat: „Masurius Sabinus in primo memorialium". et quae testimonia Gellius praeterea hoc loco composuit, ex Masurii libris cognovisse videtur, cum illis verbis addat: „(Masurius Sabinus) secutus quosdam historiae scriptores".[2]) eiusdem verba sunt, quae Gellius de religiosis diebus praebet (IV 9,5; fr. 97): hoc quoque loco paulo post ipse nominatur. reliquias decreti cuiusdam pontificum iterum exhibet in II 28,3 (fr. 164), ubi de feriis, quae cum terra moverat indicebantur, verba facit. quas ex Varronis libris — certe ex antiquitatibus rerum divinarum — se sumpsisse ipse confitetur. praeterea ad huius scriptoris libros verba de sacrificio, quod Vediovi ritu humano immolari solebat (V 12,12; fr. 154), respicere C. Hosius putat.[3]) legem Numae Gellius citavit in IV 3,3 (fr. 114): „Paelex aedem Junonis ne tangito" e. q. s., quae eadem servata est apud Paul. p. 222,4. Gellius sua debet vel libro Servii Sulpicii Rufi de dotibus composito, qui brevi ante (§ 2) citatur, vel libro de nuptiis Neratii Prisci, quem eadem de sponsaliis praebuisse atque illum in IV 4,4 affirmat. cum Servium Sulpicium a Verrio Flacco exscriptum esse ex compluribus glossis Pompei Festi cognoscatur[4]) simulque illius libris Neratius Priscus usus sit,[5]) Servius Sulpicius Rufus

---

[1]) cf. etiam Kretzer p. 27.

[2]) cf. Mercklin, ‚Die Citiermethode und Quellenbenutzung des A. Gellius' in Annal. Philol. Suppl. III p. 645.

[3]) in praef. edit. A. Gellii Noct. Att. (Lips. 1903) p. XXXIV sq.

[4]) cf. Fest. p. 174a32. 210b27. 321b10. 322b15. 376a25.

[5]) cf. Dig. XII 4,8.

ultimum fontem, qui hoc loco subest, obtulisse fortasse iure dici potest.[1]) fortasse hic iterum sua ex Aelio Stilone hausit. libri sacerdotum a Gellio in XIII 23,1 (fr. 36) nominantur, quo loco conprecationes deum immortalium et nomina, quibus singula numina appellabantur, in medium profert. etiam in plerisque antiquis orationibus eas expositas esse addit, sed ex his unum modo exemplum affert. in eo capite, quo de vocabulo ‚bidens' actum est (XVI 6,12 sqq.), maxime explicationes eas enumerat, quas Nigidius Figulus in libro de extis composito et Julius Hyginus, quem iuris pontificum non ignarum appellat, in quarto librorum de Vergilio obtulerunt. eadem fere verba tradita sunt apud Macrob. Sat. VI 9,5 sqq. sed mirum est Servium Aen. IV 57 eam modo explicationem vocabuli ‚bidens' attulisse, quam Gellius XVI 6,13 in commentariis quibusdam ad ius pontificum pertinentibus scriptam se invenisse dicit, huic autem Julii Hygini explicationem nomine non allato addidisse. illos commentarios ad ius pontificum pertinentes Kretzschmer ad Ateium Capitonem rettulit, sed cum non habeat, quo hanc sententiam defendat neque unde totum caput originem duxerit constet, certo scriptori iure adtribui non possunt.[2])

Qui secum reputat, quot locis Vergilius in carminibus sacrificiorum mentionem fecerit, etiam commentatores eius multa ad ea explicanda attulisse haud mirabitur. praeter illos magnos Servianos commentarios in Vergilii carmina, Macrobius quoque in Saturnaliis permulta de rebus pontificalibus sacrisque composuit. illi commentarii in Vergilium in duas magnas partes, quarum brevior sola Servii grammatici est, amplior additamentis ab alio quodam

---

[1]) Sed Verrium Flaccum solos Servii Sulpicii Rufi commentarios XII tabularum exscripsisse putat Reitzenstein, Verrianische Forschungen p. 86.

[2]) cf. Kretzer, de Rom. vocab. pont. p. 26.

grammatico[1]) vel compluribus[2]) ex multis aliis et optimis fontibus conscriptis atque adiectis orta est, divisi planeque separati diversis codicibus servati sunt. sed quo modo hi commentarii inter se conexi sint Serviique amplioris cum Macrobii Saturnaliis cohaereant, cum iam satis diligenter disputatum sit,[3]) nobis nihil fere addendum, sed de his rebus tantum referendum est.

Mirum est Servium breviorem rarissime cum Macrobio concinere, ampliorem permultis locis.[4]) praeterea iam Linke[5]) cognovit totum fere tertium librum Macrobii Saturnaliorum[6]) ex duobus commentariis Vergilianis exscriptum esse et nonnullis locis perpetui commentarii ser-

---

[1]) Commentarium ampliorem a scriptore christianas leges secuto conscriptum esse veri simillimum est; cf. G. Thilo, Proleg. ad editionem Servii commentariorum p. LXVII. H. Georgii, Die antike Aeneiskritik aus den Scholien und anderen Quellen hergestellt (Stuttg. 1891) p. 21 sq.

[2]) Commentarium ampliorem additamentis a compluribus grammaticis adiectis ortum esse indicare videntur explicationes ad Aen. II 225, sed eum ab uno scriptore conscriptum esse statuit R. Halfpap-Klotz, Quaestiones Servianae (diss. Gryphisw. 1882) p. 30; cf. Georgii, Die antike Aeneiskritik p. 17 sq.

[3]) cf. Kretzer p. 37 sqq., qui omnia quoque, quae viri docti de his rebus scripserunt, composuit.

[4]) cf. exempla quae composuit Kretzer p. 29 sqq. his haec adicere liceat:

Serv.	interpol.	Aen.	II 119	—	Macrob.	Sat.	III	5,4.
„	„	„	IV 56	—	„	„	III	5,1.
„	„	„	IV 219	—	„	„	III	2,8.
„	„	„	VIII 276	—	„	„	III	12,1.
„	„	„	VIII 279	—	„	„	III	11,6.
„	„	„	VIII 288	—	„	„	III	6,17.
„	„	„	XI 543	—	„	„	III	8,7.
„	„	Georg.	I 268	—	„	„	I	16,9.
„	„	„	II 395	—	„	„	III	5,8.

[5]) H. Linke, Quaestiones de Macrobii Saturnaliorum fontibus (diss. Vratisl. 1880) p. 29 sqq.

[6]) exceptis capitibus 9. 13—18.

monem manifestissime agnosci ostendit Georg. Wissowa.[1]) praeterea Macrobium commentarium quendam Vergilii compilavisse, qui in lexici modum vocabula pontificalia ex sententiis doctorum hominum explicata continuisset, idem statuit[2]): ex hoc fonte manavisse III 2,1—13, 17; 3,1—10; 4,1—5; 5,1—7; 7,3—8; 8,5—14. eum, qui hunc libellum composuit, recentiorem fuisse quam Festum inde cognoscitur, quod hic ter laudatus est. cum autem maxime Servius amplior cum Macrobio, ut iam supra dictum est, permultis locis congruat neque hic Servii commentarium exscripserit,[3]) nihil aliud reliquum est nisi ut aut Servius amplior Macrobii Saturnaliis aut uterque eodem fonte usus sit. interpolatorem Servii grammatici alicuius auctoritatem secutum esse, qui sacrarum rerum antiquitates a Vergilio commemoratas comprehendisset et explicasset, a Thilone[4]) et aliis viris doctissimis[5]) coniectum est, cum Kretzer[6]) usque eo progressus sit, ut Servium ampliorem sua Macrobio debere putet. sed hac via ne longius progrediamur, nobis cavendum esse existimo; nam nos considerare oportet Servii interpolatorem multo plura de sacris rebus protulisse quam Macrobium, et cum hunc commentarios quosdam Vergilianos compilavisse supra dixerimus, eisdem, qui propter res sacras quas Vergilius commemorat collectas maxime idonei fuerunt, etiam interpolatorem usum esse multo veri similius esse videtur.[7])

---

[1]) Gesammelte Abhandlungen zur roemischen Religions- und Stadtgeschichte (Monach. 1904) p. 103 adn. 1.

[2]) cf. etiam Kretzer p. 37.

[3]) cf. Thilo, Proleg. p. XXII.

[4]) Proleg. p. XXVI; Quaestiones Servianae (1867) p. 52.

[5]) cf. Linke p. 30 sqq. G. Wissowa, De Macrobii Saturnal. fontibus capita III (diss. Vratisl. 1880) p. 45.

[6]) p. 40 sq.

[7]) cf. Wissowa p. 56. Halfpap-Klotz p. 53. Thilo, Proleg. p. LXVI. Georgii, Die antike Aeneiskritik p. 19 sq.

Cum hoc loco longum sit disserere, quibus ex fontibus in enarrandis eis rebus sacris, quae ad nostras quaestiones pertinent, Servius et interpolator eius hauserint, paucis componere liceat, quibus verbis adnotationes ad res sacrificiorum explicandas pertinentes instituerint. ceterum hic addatur auctorem Fabium Pictorem uno (Serv. interpol. Georg. I 21; fr. 136) et Varronem uno loco (Serv. interpol. Aen. III 134; fr. 2) citatos esse.[1]) libri pontificii fontes nominati sunt apud Serv. Georg. I 344 (fr. 137) appellatique pontificales libri.[2]) sed certe ad eorundem praecepta spectant appellationes ut ritus sacrificii: Serv. Aen. V 77 (fr. 47), ritus Romanorum: I 736 (fr. 101), ritus sacrorum: III 231 (fr. 94), Serv. interpol. Aen. VIII 552 (fr. 12), ritus vetus: Georg. I 21 (fr. 33), disciplina caerimoniarum: Aen. XII 172 (fr. 28), caerimoniae Romanae: Serv. Aen. IX 624 (fr. 100b), ius pontificum: Serv. interpol. Aen. II 351 (fr. 32), religio pontificum: IV 262 (fr. 11), pontificum mos: IV 577 (fr. 102), eique loci, quibus pontifices ipsi auctores appellantur: Serv. interpol. Aen. XII 170. II 141 (fr. 31). Georg. IV 379 (fr. 147). saepissime etiam verba non licet, necesse erat, piaculum est, nefas est vel similia se ex decretis praeceptisve pontificum repetita esse ipsa aperiunt: Serv. interpol. Aen. IV 518 (fr. 118). Serv. Aen. III 407 (fr. 38). II 134 (fr. 62). VIII 183 (fr. 124). XI 339 (fr. 126). denique permultae sunt appellationes quibus explicationes instituuntur verbum sacrorum, sacerdotum verbum, in sacris, in sacrificiis: Serv. Aen. VI 741 (fr. 20). IX 641 (fr. 73). VIII 106 (fr. 40). VI 248 (fr. 75). II 104 (fr. 65). X 228 (fr. 168 adn.).

---

[1]) Hic de eis modo loquimur, quae ad nostras quaestiones pertinent.

[2]) Ceterum indigitamenta pars librorum pontificiorum nominata sunt apud Serv. Georg. I 21. cf. etiam Serv. Aen. VII 190. XII 603. Ecl. V 66. Serv. interpol. Georg. I 270.

Georg. II 194 (fr. 92). Serv. interpol. Aen. IV 683 (fr. 6). II 140 (fr. 64). IV 57 (fr. 74 adn.). II 119 (fr. 81). quod attinet ad explicationem vocabuli ‚secespita' (Serv. Aen. IV 262; fr. 78), qua facile illa mutilata glossa apud Fest. p. 348a4 suppletur, ex huius verbis id quidem cognoscitur glossae auctorem fuisse Antistium Labeonem. Ateius Capito verbis apud Serv. Aen. VIII 641 (fr. 95) subesse videtur, cum eadem fere etiam in Gell. Noct. Att. IV 6,5 Capitone auctore inveniantur. cum Festi verbis concinunt, quae Servii interpolator praebet de puris vestimentis,[1] de camillis,[2] de arculo.[3] ceteri omnes loci explanationes afferunt rerum sacrarum in sacrificiis observandarum, quarum verba ad praecepta quaedam pontificum respiciunt.[4]

Quod attinet ad auctores, quos Macrobius in rebus sacris citavit, ei potissimum grammatici et iuris periti allati sunt, de quibus iam supra actum est: Fabius Pictor (III 2,11 = fr. 161), Varro (I 15,18 = fr. 103. III 2,11 = fr. 161), Verrius Flaccus (III 5,7 = fr. 122), Fabius Maximus Servilianus pontifex (I 16,25 = fr. 174), Veranius (III 5,6 = fr. 58), qui auctor quoque glossae apud Paul. p. 82,3 cognoscitur, cum huius verba cum Macrobianis comparantur, L. Cincius (I 12,18 = fr. 149), Antistius Labeo (III 10,4 = fr. 100. 121), Ateius Capito (III 10,3 = fr. 100). libri pontificum fontes nominati sunt: I 12,21 (fr. 150), disciplina haruspicum et praeceptum pontificum: III 2,3 (fr. 91), pontificalis auctoritas: I 15,18

---

[1]) Fest. p. 249b8 — Serv. interpol. Aen. IV 683. XII 169 (fr. 6).

[2]) Paul. p. 93,2. 6 — Serv. interpol. Aen. XI 543 (Macrob. Sat. III 8,7) (fr. 9).

[3]) Paul. p. 113,18 — Serv. interpol. Aen. IV 137 (fr. 15).

[4]) Serv. Aen. IV 635 (fr. 22). III 407 (fr. 18). I 292 (fr. 34). VI 244 (fr. 41). VI 244 (fr. 72). VIII 85 (fr. 74). I 292 (fr. 119). IX 446 (fr. 120). Georg. II 395 (fr. 67). Ecl. III 77 (fr. 123). Serv. interpol. Aen. XII 169 (fr. 7). III 457 (fr. 27). IV 646 (fr. 96). IV 58 (fr. 138). I 8 (fr. 148). Georg. I 31 (fr. 111).

(fr. 103). praeterea ad praecepta eorum respiciunt III 5,8 (fr. 63: observatum est a sacrificantibus), I 16,3 (fr. 93: nefas est — non licet), I 16,9 sqq. (fr. 8a: adfirmabant sacerdotes). Granio Flacco, qui praeter commentarios iuris Papiriani[1]) etiam librum de indigitamentis conscripsit, fortasse I 16,30 (fr. 104) adtribuendum est, quo loco Granius quidam Licinianus auctor nominatur.[2]) explanationes rerum sacrarum, de quibus quin praecepta pontificum fuerint dubium non est, Macrobius auctoribus non allatis praebet in I 11,36 (fr. 117). I 10,19 (fr. 145). I 12,33 (fr. 153).

Quae praeterea de caerimoniis in sacrificiis observandis explanant, per tales scriptores dispersa sunt, qui facile ad eos auctores, de quibus supra locuti sumus, referri possunt. Plutarchus, qui scriptores Romanos in quaestionibus Romanis conscribendis non adisse videtur[3]), Jubae quidem ὁμοιότητας adhibuit[4]), ex quibus Varronis[5]) quoque et iuris peritorum scriptorum[6]) libros, ad quos certe mentiones eius rerum

---

[1]) cf. Macrob. Sat. III 11,5. Bouché-Leclercq, Les pontifes p. 191 sqq. Wissowa, Rel. u. Kult. p. 442.

[2]) cf. Huschke, Jurispr. Antei[4]. p. 107 adn. 2. Wissowa, de Macrob. Sat. font. cap. III p. 28 adn. 1. Peter, Quaest. pont. spec. p. 19.

[3]) cf. P. Glaesser, De Varronianae doctrinae apud Plutarchum vestigiis (Leipz. Stud. z. klass. Philol. IV 1881) p. 222.

[4]) cf. A. Barth, De Jubae ὁμοιότησιν a Plutarcho expressis in quaestionibus Romanis et in Romulo Numaque (diss. Gotting. 1876).

[5]) Quaestiones 38, 40, 44, 109—113 ad Varronis antiquitatum rerum divinarum libr. II redire opinatus est G. Thilo, De Varrone Plutarchi quaest. Rom. auctore praecipuo (diss. Bonn. 1853) p. 33.

[6]) Plutarchum ipsos Atei Capitonis de iure pontificio libros adhibuisse existimaverat Frid. Leo, De Plutarchi quaest. Rom. auctoribus (Hal. 1864) p. 43 sq.; cf. Peter, Quaest. pont. spec. p. 22.

sacrarum[1]) referendae sunt, cognovit. Nonius imprimis Gellii Noctes Atticas[2]) aliosque grammaticos eiusdem aetatis, maxime commentarios et catalogos vocabulorum exscripsit, cum antiquiorum scriptorum perpaucos ipse legerit[3]). ut exemplum afferam, Varronis solos fortasse libros de re rustica, de vita populi Romani quique inscribitur Catus vel de liberis educandis, ipse adhibuit[4]): ceteras omnes citationes plurimasque ceterorum scriptorum antiquiorum in commentariis demum vocabulorumque catalogis invenisse simulque ex his descripsisse videtur. quae Arnobius de cultu ritibusque sacrificiorum Romanorum in libros qui inscripti sunt adversus nationes recepit[5]), originem ducere videntur ab opere quodam in lexici modum instituto, in quo singula, quae ad sacrificia pertinebant, composita erant et explicata[6]).

Nunc eo venimus, ut ipsa ea conscribamus, quae ad caerimonias in sacrificiis observandas pertinentia aliquo modo ex libris pontificiis repetita esse videntur. cum nobis

---

1) Num. c. 14 (fr. 30). Rom. c. 12 (fr. 141). c. 4 (fr. 152). quaest. Rom. 111 (fr. 146). cf. etiam Marc. c. 5 (fr. 13).

2) cf. M. Hertz, ‚A. Gellius und Nonius Marcellus‘ in Annal. Philol., 1862, p. 705 sqq. et 779 sqq. (= Opuscula Gelliana lateinisch und deutsch, Berol. 1886, p. 85 sqq.).

3) De Nonii Marcelli citationibus cf. A. Riese, ‚Ueber die Doppeltitel Varronischer Satiren‘ in Symb. philol. Bonn. p. 483 sqq. A. Schottmueller, ‚Ueber die Bestandteile des ersten Capitels des Nonius Marcellus‘ ibid. p. 807 sqq. P. Schmidt, De Nonii Marcelli auctoribus grammaticis, Lips. 1868. W. M. Lindsay, ‚Nonius Marcellus‘ Dictionary of Republican Latin, Oxon. 1901, et ‚De citationibus apud Nonium Marcellum‘, Philologus, 1905, p. 438 sqq.

4) cf. P. Schmidt, de Non. Marc. auct. gramm. p. 131 sq. et 141 sq. Nonium Varronis libros de vita populi Romani ex Suetonii libris cognovisse statuit Hertz in Annal. Philol., 1862, p. 798.

5) adv. nat. VII 24—25; cf. fr. 53. 85. 87—90.

6) cf. Kretzer, de Rom. vocab. pont. p. 43.

multa, quae iam a Petero[1]) et Kretzero[2]) diligenter tractata sunt, denuo proferenda esse appareat, horum paucis modo verbis mentionem faciemus. primum ea componemus scriptorum testimonia, quae ad caerimonias sacrificiorum in universum pertinent, deinde ea quae docent, quae caerimoniae in sacrificiis, quae singulis deis vel sacris diebus offerri licuerit aut opus fuerit, observandae fuerint. in ipsa fragmentorum compositione ea verba, quae scriptorum testimonia ex ipsis libris pontificiis originem ducere indicant, diductis litteris descripta sunt.

---

[1]) R. Peter, Quaestionum pontificalium specimen, diss. Argent. 1886.

[2]) M. Kretzer, De Romanorum vocabulis pontificalibus, diss. Hal. 1903.

LIBRORUM PONTIFICIORUM

DE CAERIMONIIS SACRIFICIORUM FRAGMENTA

Conspectus siglorum.

M. Terentii Varronis de lingua Latina libri:

F = cod. Florentinus (Laurentianus LI. 10).

f = cod. Florentinus (Laurentianus LI. 5).

B = incertus codex, cuius varietatem Victorius in Gryphiana adnotavit.

Sexti Pompei Festi de verborum significatu libri:

cod. = cod. Farnesianus F; iterum eum recensuerunt H. Keil, Supplementum Festi a C. O. Muellero editi, Mus. Rhen. VI p. 618 sqq., et W. M. Lindsay, Festi codicis Neapolitani novae lectiones, Herm. XL p. 240 sqq.

Pauli epitomae:

M = cod. Monacensis.

Gu = cod. Guelferbytanus.

C. Plinii Secundi Naturalis historiae libri:

lib. VII—XV: *F* = cod. Leidensis Lipsii n. VII.
R = cod. Riccardianus.
r = codices reliqui praeter eos qui quoque loco nominatim sunt adscripti.

lib. XVI—XXII: *C* = codices meliores.

lib. XXIII—XXXI: *R* = cod. Riccardianus.
E = cod. Parisinus lat. 6795.
r = codices reliqui praeter eos qui quoque loco nominatim sunt adscripti.
V = cod. Leidensis Vossianus fol. n. LXI.

lib. XXXII—XXXVII: *B* = cod. Bambergensis.
C = codices reliqui.

A. Gellii Noctium Atticarum libri:

lib. I—VIII: *R* = cod. Lugduno-Bat. 21 saec. XII.
V = cod. Vaticanus 3452 saec. XIII.
ω = consensus codd. (A) P R V aut omnium aut reliquorum.
A = cod. palimpsestus Palatino-Vaticanus 24 saec. VII (?).
P = cod. Parisinus 5765 saec. XIII.
ς = codices deteriores, inter quos U = cod. Urbin. 309.

lib. IX—XX: *N* = cod. Magliabecchianus 329 saec. XV.
O = cod. Reginensis 597 saec. X.
Π = cod. Reginensis 1646 saec. XII.
X = cod. Vossianus Lat. F 112 saec. X.
γ = archetypus codd. NO*Π*X.
Q = cod. Parisinus 8664 saec. XIII.

Macrobii Saturnaliorum libri:

P = cod. Parisinus.
B = cod. Bambergensis M. L. V. 5 n. 9 Saturnaliorum I—III, 19,5 continens.
p b = lectio codicum emendata.

Servii grammatici qui feruntur in Vergilii carmina commentarii:

I. plenioris commentarii codices:

C = cod. olim conventus Fuldensis, nunc bibl. Cassellanae ms. poet. fol. 6 (Aen. I et II).
C^2 = huius codicis vetus corrector, C^3 = corrector saec. XV.
P = cod. bibl. nat. Paris. 1750 (Aen. I et II).
F = cod. olim conventus Floriacensis (Aen. III—XII), nunc a) bibl. Bern. 172 (Aen. III—V), b) bibl. nat. Paris. 7929 (Aen. VI—XII).
T = cod. olim Turonensis, nunc Bernensis 165 (Aen. III—XII).
Ambros. = cod. bibl. Ambrosianae S. 83 part. sup. (Aen. III et IV).

II. Serviani commentarii codices:

C = cod. Cassellani ea pars quae ad Aen. III—VI pertinet.

L = cod. bibl. Lipsiensis rep. I n. 36b (Aen. I—XII).

l = huius codicis correctores.

A = cod. bibl. Caroliruhensis 116 (Aen. VI-XII).

R = cod. Reginensis 1674 (Aen. VI—XII).

S = codd. bibl. Sangallensis 861 et 862 (Aen. VI—XII).

H = cod. bibl. Hamburgensis 52 (Aen. I—XII).

M = cod. bibl. Monacensis 6394, olim Frisingensis 194 (Aen. I—XII).

E = cod. bibl. Monacensis 18059, olim Tegernseensis 59 (Aen. II et III).

D = Italorum supplementa quae Aen. I—V e cod. bibl. reg. Dresdensis D. 136, Aen. VI—XII e cod. bibl. nat. Paris. 7965 petita sunt.

Servii grammatici qui feruntur in Vergilii Bucolica et Georgica commentarii:

I. plenioris commentarii codices:

L = cod. olim Lemovicensis, nunc Leidensis (buc. IV—X, georg. I, 1—278).

l = huius codicis vetus corrector.

V = cod. Vaticanus 3317 (georg. I—IV). Scholia huius cod. propria J. Philargyrio vulgo tribuuntur.

II. Serviani commentarii codices:

A = cod. Caroliruhensis 116 saec. X.

B = cod. Bernensis 363 saec. IX.

P = cod. Parisinus 7959 saec. X.

H = cod. Hamburgensis 52 saec. XI.

L = cod. Laurentianus plut. 45 cod. 14 (buc. I 37-II 10).

R = cod. Reginensis 1495, Servii in bucolica et georg. I, 1—375 commentarios cum scholiis saec. VII partim ineditis continens.

Arnobii Adversus nationes liber:

P = cod. olim Romanus, inde a Francisci primi aut Henrici secundi aetate Parisinus n. 1661.

A. De sacrificio in universum.

1. Fest. p. 253a17: Pollucere merces [quas cuivis deo] liceat, sunt far, polenta, vinum, panis fermentatus, ficus passa, suilla, bubula, agnina, casei, ovilla, alica, sesama et oleum, pisces, quibus est squama praeter scarum; Herculi autem omnia esculenta, poculenta.

1 quas cuivis deo *suppl. Mueller.* — 2 fermentatis *cod.,* fermentatus *vg. Urs.,* fermentalis *Mueller.* — 4 squatum *cod.*, scarum *corr. A. Aug. in mg.*, squarum *Urs.* — 5 aesculenta posculenta *cod., emend. Urs.*

Plin. Nat. hist. XXXII 20. de vocabulo *pollucere* cf. Kretzer p. 75.

---

2. Serv. interpol. Aen. III 134: Sane Varro rerum divinarum refert inter sacratas aras focos quoque sacrari solere ut in Capitolio Iovi Iunoni Minervae nec minus in plurimis urbibus oppidisque et id tam publice quam privatim solere fieri. . . . . . nec licere vel privata vel publica sacra sine foco fieri.

cf. Serv. interpol. Aen. III 178. XII 118. I 704. Marquardt, Roem. Staatsverw. III^2 p. 164.

---

3. Plin. Nat. hist. XVI 24: Quin et fulmine saepissime iacitur (sc. quercus), quamquam altitudine non excellat. ideo ligno eius (sc. quercus) nec ad sacrificia uti fas habetur.

---

4. Serv. Aen. XI 2: Consuetudo Romana fuit, ut polluti funere minime sacrificarent. si tamen contingeret, ut uno eodemque tempore et funestaretur quis et cogeretur operam dare sacrificiis, elaborabat ut ante sacra compleret quam funus agnosceret.

4 laborabat *LH,* elaborabat *l,* elaborat *F.* — sacra *om. LH, add. l.*

cf. Serv. Aen. VI 8. Serv. interpol. Aen. IV 507. XI 143. — Paul. p. 71,10: „Denariae caerimoniae dicebantur et tricenariae, quibus sacra adituris decem continuis diebus vel triginta certis quibusdam rebus carendum erat.“ Fest. p. 253a4: „Purimenstrio esse dicuntur, qui sacrorum causa toto mense in caerimoniis sunt id est puri sint certis diebus carendo.“

5. Paul. p. 82,8: Exesto: extra esto. sic enim lictor in quibusdam sacris clamitabat: hostis, vinctus, mulier, virgo exesto; scilicet interesse prohibebatur.

cf. Kretzer p. 55.

6. Fest. p. 249b8: [Pura vest]im[enta sacerdotes populi Romani ad sacri]fici[um habere solent, id est non ob]sita, [non fulgurita, non funesta, non maculata] ex h[omine mortuo]. Serv. interpol. Aen. IV 683: Sane in sacris pura vestis appellatur, quae neque funesta sit neque maculam habeat ex homine mortuo. Serv. et Serv. interpol. Aen. XII 169: Inpolluta et pura dicitur vestis, qua festis diebus uti consueverant sacra celebraturi: *ut neque funesta sit neque fulgurata neque maculam habeat ex homine mortuo. est autem linea et purpurea.*

3 ex h[omine mortuo] *suppl. Peter ex Serv. interpol. Aen. IV 683,* ex h[ac causa . . . .] *Mueller.*

cf. Liv. V 22,4. Peter, Quaestionum pontificalium specimen (diss. Argent. 1886) fr. 3.

7. Serv. interpol. Aen. XII 169: Ideo magistratus et sacrificaturi togam praetextam habent et manus ablutas detergere lineis mantelibus curant.

8a. Macrob. Sat. I 16,9 sqq.: Adfirmabant autem sacerdotes pollui ferias, si indictis conceptisque opus aliquod fieret. praeterea regem sacrorum flaminesque non licebat videre feriis opus fieri et ideo per praeconem denuntiabant nequid tale ageretur et praecepti neglegens multabatur. praeter multam vero adfirmabatur eum, qui talibus diebus inprudens aliquid egisset, porco piaculum dare debere, prudentem expiare non posse Scaevola pontifex adseverabat, sed Umbro negat eum pollui, qui opus vel ad deos pertinens sacrorumve causa fecisset vel aliquid ad urgentem vitae utilitatem respiciens actitasset. Scaevola denique consultus, quid feriis agi liceret, respondit, quod praetermissum noceret. Serv. interpol. Georg. I 268: Sunt enim aliqua, quae, si festis diebus fiant, ferias polluant: quapropter et pontifices sacrificaturi praemittere calatores suos solent, ut, sicubi viderint opifices adsidentes opus suum, prohibeant, ne pro negotio suo et ipsorum oculos et caerimonias deum attaminent: feriae enim operae deorum creditae sunt. sane feriis terram ferro tangi nefas est, quia feriae deorum causa instituuntur. festi dies hominum quoque.

4 praetorem denunciabatur *P.* — 7 piaculum dari debere *B.* — 9 adseverebat *B,* asseverabat *b,* affirmabat *P.*

b. Fest. p. 249a20: Praeciae viatores dicuntur, qui flaminibus Diali, Quirinali, Martiali antecedentes exclamant feriis publicis, ut homines abstineant se opere, quia his opus facientem videre religiosum est. Paul. p. 224,1: Praecias dicebant, qui a flaminibus praemittebantur, ut denuntiarent opificibus, manus abstinerent ab opere, ne, si vidisset sacerdos facientem opus, sacra polluerentur.

1 praeciae viatores *Madvig,* praeciamitatores *cod.* — 2 antecedent *cod., corr. A. Aug.* — 3 ferehis *cod.,* feriis *Urs.,* — 4 videri *cod.*

cf. Serv. interpol. Georg. I 268. Macrob. Sat. I 16,9. Wissowa, Rel. u. Kult. p. 446 adn. 5. Peter p. 26 et 56 (fr. 31). Kretzer p. 63.

9a. Paul. p. 93,2: Flaminius camillus puer dicebatur

ingenuus patrimes et matrimes, qui flamini Diali ad sacrificia praeministrabat.

patrimus et matrimus *A. Aug.*

b. Paul. p. 93,6: Flaminia camilla dicebatur sacerdotula, quae flaminicae Diali praeministrabat; eaque patrimes et matrimes erat, id est patrem matremque adhuc vivos habebat.

flaminia] flaminula *cod. Lipsiensis.* — camilla *om. codd.*

cf. Serv. Aen. XI 558. Serv. interpol. Aen. XI 543. Macrob. Sat. III 8,7. Paul. p. 63,12. Plut. Num. c. 7. Peter fr. 30 et 50. Kretzer p. 51.

10. Paul. p. 93,9: Flaminius lictor est, qui flamini Diali sacrorum causa praesto est.

cf. Ovid. fast. II 21 sqq. Peter fr. 29.

11. Serv. interpol. Aen. IV 262: ‚Laena' . . . . alii togam duplicem, in qua flamines sacrificant infibulati. . . . . veteri enim religione pontificum praecipiebatur inaugurato flamini vestem, quae laena dicebatur, a flaminica texi oportere. Paul. p. 113,15: Infibulati sacrificabant flamines propter usum aeris antiquissimum aereis fibulis.

2 sacrificabant *T Ambros.* — infibulati *Daniel*, infabulati *F*, infulati *T.* — 4 a *om. F.*

cf. Serv. interpol. Aen. IV 263. Peter fr. 27. 17. 18.

12. Serv. interpol. Aen. VIII 552: Aeneam non tantum pontificii iuris, sed omnium sacrorum et peritum et primum fuisse, Vergilium autem inventa occasione ritum Romanarum caerimoniarum exponere. etenim veteri sacrorum ritu neque Martialis neque Quirinalis flamen omnibus caerimoniis tenebatur, quibus flamen Dialis: neque diurnis sacrificiis destinabantur et abesse eis a finibus Italiae licebat neque semper praetextam neque apicem nisi tempore sacrificii gestare soliti erant. ergo si ire eis in provinciam licebat et equo sine religione vehi licuit . . . . sciendum tamen poetam contentum esse universum ius pontificale, dum aliud narrat, attingere.

4 etenim . . . . ritu *T*, more etenim veteri sacrorum *F*. — 5 flaminum *T*. — 6 diurnis . . . . praetextam neque *om. F*. — 7 destinabantur] distinebantur *Masvicius*. — 9 gestare] cessare *T*. — 11 universum *Thilo*, diversum *FT*.

cf. Peter fr. 54.

13. Valer. Maxim. I 1,5: At Q. Sulpicio inter sacrificandum e capite apex prolapsus idem sacerdotium abstulit. Plut. Marc. c. 5: *Περὶ δὲ τοὺς αὐτοὺς ἐκείνους χρόνους καὶ δύο ἱερεῖς ἐπιφανέστατοι τὰς ἱερωσύνας ἀφῃρέθησαν, Κορνήλιος μὲν Κέθηγος, ὅτι τὰ σπλάγχνα τοῦ ἱερείου παρὰ τάξιν ἐπέδωκε, Κούιντος δὲ Σουλπίκιος ἐπὶ τῷ θύοντος αὐτοῦ τὸν κορυφαῖον ἀποῤῥυῆναι τῆς κεφαλῆς πῖλον, ὃν οἱ καλούμενοι φλαμίνιοι φοροῦσι.*

Peter fr. 32 et 33. de galero, tutulo, apice cf. Peter fr. 19—22.

14. Paul. p. 64,17: Commetacula virgae, quas flamines portant pergentes ad sacrificium, ut a se homines amoveant. Paul. p. 56,16: Commetaculum genus virgulae, qua in sacrificiis utebantur.

cf. Peter fr. 26. Kretzer p. 53. fortasse ad hunc locum respiciunt verba apud Paul. p. 50,9: „Culticula fusticulus quidam ligneus in sacris dicebatur.“ Kretzer p. 54.

15. Serv. interpol. Aen. IV 137: Arculum vero est virga ex malo Punica incurvata, quae fit quasi corona et ima summaque inter se alligatur vinculo laneo albo, quam in sacrificiis certis regina in capite habebat, flaminica autem Dialis omni sacrificatione uti debebat. Paul. p. 113,18: Inarculum virgula erat ex malo Punica incurvata, quam regina sacrificans in capite gestabat.

2 punico *codd.*, Punica *corr. Marquardt, Roem. Staatsverw. III p. 318 adn. 16.* — fit *T*, sit *F et Ambros.* — 4 habebat] uti habeat *F*. — flaminica . . . . . debebat *om. F*. — 6 punico *codd., corr. Peter p. 41 (fr. 10).*

cf. Gell. Noct. Att. X 15,28. Peter fr. 10. Kretzer p. 70.

16. Fest. p. 348a25: [Suf]fibulum est vestimentum al[bum,

praetextum, qua]drangulum, oblongum, quod in ca[pite virgines Ve]stales, cum sacrificant, semper [habere solent], idque fibula comprehenditur.

cf. Varr. de l. l. VI 21. Peter fr. 74. Kretzer p. 68.

17. Paul. p. 4,1: Armita dicebatur virgo sacrificans, cui lacinia togae in humerum erat reiecta.

armita *M Gu*, armata *vg.*

cf. Serv. Aen. VII 612: „‚Gabinus cinctus‘ est toga sic in tergum reiecta, ut una eius lacinia a tergo revocata hominem cingat“. Peter fr. 75. Kretzer p. 48.

18. Serv. et Serv. interpol. Aen. III 407: Sane sciendum sacrificantes diis omnibus caput velare consuetos ob hoc, ne se inter religionem aliquid vagis offerret obtutibus, excepto tantum Saturno, ne numinis imitatio esse videretur *et Herculi in templo suo, quia et ipse capite operto est.*

2 capita *FC.* — 4 videretur] qui saturno velato capite incenditur *add. D, inde* quia . . . . . . incenditur *Fabricius,* quia Saturno v. c. ibi cernitur *vg.*

cf. Fest. p. 322b24. Plut. quaest. Rom. 10 et 11. etiam Honori aperto capite sacrificatum esse dicit Plut. quaest. Rom. 13 (cf. Wissowa, Rel. u. Kult. p. 137).

19. Paul. p. 57,6: Capital linteum quoddam, quo in sacrificiis utebantur. Varr. de l. l. V 130: Dictum capital a capite, quod sacerdotulae in capite etiam nunc solent habere.

cf. Kretzer p. 52.

20. Serv. Aen. VI 741 (= Myth. Vat. III 6,18): Unde etiam in sacris omnibus tres sunt istae purgationes: nam aut taeda purgant et sulphure, aut aqua abluunt, aut aëre ventilant, quod erat in sacris Liberi.

in sacris legimus omnibus *AS,* in sacris Liberi omnibus *Masvicius.* — purgant *RHFC mythographi cod. Regin.,* purgantur *ASM.* — et *RFC,* aut *ASM,* ut *H.* — abluunt *RFC mythogr. cod. Regin.,* ablunt *H,* abluuntur *ASM.* — ventilant *mythogr. cod.*

Regin.. ventilantur *D et cett. mythographi codd. et exemplaria impressa,* ventilant *om. ASRHMFC.*

cf. Marquardt, Roem. Staatsverw. III² p. 175.

21. Paul. p. 85,16: Quaecunque denique purgamenti causa in quibusque sacrificiis adhibentur, februa appellantur. id vero, quod purgatur, dicitur februatum.

cf. Lyd. de mens. IV 25 (p. 83,11 W.): „*Ἀλλὰ μὴν καὶ φεβρουᾶρε τὸ καθᾶραι τὰ ποντιφικάλια βιβλία καλεῖ, Φέβρον τὸν Πλούτωνα.*“ Kretzer p. 55.

22. Macrob. Sat. III 1,6: Constat dis superis sacra facturum corporis ablutione purgari, cum vero inferis litandum est, satis actum videtur, si aspersio sola contingat. Serv. et Serv. interpol. Aen. IV 635: Sacrificantes diis inferis aspergebantur *aqua* . . . . superis abluebantur.

cf. Serv. interpol. Aen. VIII 33.

23. Non. p. 544,22 M.: F a b i u s P i c t o r lib. XVI (Bremer, Jurisprudentiae Antehadrianae quae supersunt I p. 12 fr. 8): Aquam manibus pedibusque dato, polybrum sinistra manu teneto, dextera vasum cum aqua.

cf. Fest. p. 161a15: „Malluvium lacum (latum *cod.*) c o m m e n t a r i u m sacrorum significat, manus qui lavent (lavet *cod.*), a quo malluviae dicuntur, quibus manus sunt lautae perinde, ut quibus pedes, pelluviae.“ Kretzer p. 59.

24. Serv. et Serv. interpol. Aen. V 71: ‚Ore favete‘ apto sermone usus est et sacrificio et ludis: nam in sacris taciturnitas *necessaria est, quod etiam praeco magistratu sacrificante dicebat ‚favete linguis, favete vocibus‘ hoc est bona omina habete aut tacete.* Paul. p. 88,6: Praecones clamantes populum sacrificiis favere iubebant. favere enim est bona fari, at veteres poetae pro silere usi sunt favere. Paul. p. 222,17: Parcito linguam in sacrificiis dicebatur, id est coerceto, contineto, taceto.

cf. Cic. de div. II 40,83. Plin. Nat. hist. XXVIII 11. Horat. carm. III 1,2. Verg. Aen. V 71. Stat. Silv. II 7,19. Martial. X 87,3. Ovid. fast. II 654. Propert. IV 6,1. Serv. interpol. Aen. VIII 173.

25. Plin. Nat. hist. XXVIII 11: Praeterea alia sunt verba inpetritis, alia depulsoris, alia commendationis, videmusque certis precationibus obsecrasse summos magistratus et, ne quod verborum praetereatur aut praeposterum dicatur, de scripto praeire aliquem rursusque alium custodem dari, qui adtendat, alium vero praeponi, qui favere linguis iubeat, tibicinem canere, ne quid aliud exaudiatur, utraque memoria insigni, quotiens ipsae dirae obstrepentes nocuerint quotiensve precatio erraverit, sic repente extis adimi capita vel corda aut geminari victima stante.

4 quod] quid *R.* — 6 alium vero *E,* aqua (aquam *V*) vero *r.* — 8 quotiens . . . . . . nocuerint. *om.* *R*¹*V.*

26. Fest. p. 190b2: Ob vos sacro in quibusdam precationibus est pro vos obsecro, ut sub vos placo pro supplico.

cf. Fest. p. 309a30. Paul. p. 188,11: „Obsecrare est opem a sacris petere“.

27. Serv. interpol. Aen. III 457: . . . . . . ut in sacrificiis ‚uti volens propitiusque‘.

28. Serv. interpol. Aen. XII 172: Sed disciplinam caerimoniarum secutus est, ut orientem spectare diceret eum, qui esset precaturus.

cf. Verg. Aen. VIII 68. Ovid. fast. IV 777. Henzen, Acta fratr. Arval. p. 7.

29. Macrob. Sat. III 2,7 sq.: Multifariam enim legimus, quod litare sola non possit oratio, nisi ut is, qui deos precatur, etiam aram manibus adprehendat. inde Varro divinarum libro quinto dicit aras primum asas dictas, quod esset necessarium a sacrificantibus eas teneri, ansis autem teneri solere vasa quis dubitet? Serv. interpol. Aen. IV 219: Necesse enim erat aras a sacrificantibus teneri: quod nisi fieret, diis sacrificatio grata non esset. Serv. Aen. VI 124: Rogabant enim deos ararum ansas tenentes.

7 aras a sacrificantibus *Ambros.*, ansiseasa sacrificantibus *F*, reas sacrificantibus *T.*

30. Plut. Num. c. 14: *Οἷον τὸ μὴ σπένδειν θεοῖς ἐξ ἀμπέλων ἀτμήτων μηδὲ θύειν ἄτερ ἀλφίτων· καὶ τὸ προσκυνεῖν περιστρεφομένους καὶ τὸ καθῆσθαι προσκυνήσαντας.* Plin. Nat. hist. XXVIII 25: In adorando dextram ad osculum referimus totumque corpus circumagimus.

cf. Plin. Nat. hist. XI 251. Lucian. de salt. 17. Minuc. Fel. 2,4.

31. Serv. interpol. Aen. II 141: Nam ea numina invocans, quae sunt conscia numina veritatis, quia et pontifices dicunt singulis actibus proprios deos praeesse.

non numine invocans *vel* non nominatim vocans *coni. F. Schoellius.* — invocavit *Daniel.*

32. Serv. interpol. Aen. II 351: Et iure pontificum cautum est, ne suis nominibus dii Romani appellarentur, ne exaugurari possint. . . . . . . et pontifices ita precabantur ‚Juppiter optime maxime, sive quo alio nomine te appellari volueris'.

cf. Serv. interpol. Aen. IV 577.

33. Serv. interpol. Georg. I 21: More pontificum, (per) quos ritu veteri in omnibus sacris post speciales deos, quos ad ipsum sacrum, quod fiebat, necesse erat invocari, generaliter omnia numina invocabantur. Serv. Aen. VIII 103: Nam cuivis deo sacrificaretur, necesse erat post ipsum etiam reliquos invocari.

cf. Serv. interpol. Georg. I 10.

34. Serv. Aen. I 292: Vesta vero pro religione, quia nullum sacrificium sine igne est, unde et ipsa et Janus in omnibus sacrificiis invocantur.

vestam vero religionem *codd., corr. F. Schoellius.*

cf. Cic. de nat. deor. II 27,67. Arnob. adv. nat. III 29. Serv. Aen. VII 610. Macrob. Sat. I 9,9: „. . . . invocarique primum (sc. Janum), cum alicui deo res divina celebratur, ut per eum pateat ad illum, cui immolatur, accessus, quasi preces supplicum per portas suas ad deos ipse transmittat."

35. Macrob. Sat. I 9,15: In sacris quoque invocamus Janum Geminum, Janum patrem, Janum Junonium, Janum Consivium, Janum Quirinum, Janum Patulcium et Clusivium.

quirinium *B*.

36. Gell. Noct. Att. XIII 23,1 sq.: Conprecationes deum immortalium, quae ritu Romano fiunt, expositae sunt in libris sacerdotum populi Romani et in plerisque antiquis orationibus. in his scriptum est: Luam Saturni, Salaciam Neptuni, Horam Quirini, Virites Quirini, Maiam Volcani, Heriem Junonis, Moles Martis Nerienemque Martis.

4 lucam $O^{1}\Pi$. — 5 solaciam *Q*. — iurites γ, Curitis *Turnebus*. — quiritu *QX*, quiritii $O^{1}\Pi$. — 6 molas *OΠX*. — 7 que *om. N*.

37. Macrob. Sat. I 17,15: Namque virgines Vestales ita indigitant Apollo Medice, Apollo Paean.

---

38. Serv. Aen. VIII 110: ‚Audax quos rumpere Pallas sacra vetat‘ ne interruptione sacrificii . . . . . . piaculum committeretur. Serv. Aen. III 407: ‚Et omina turbet‘ sacrificii ordinem rumpat, quod est piaculum.

39. Fest. p. 363b13: Taminare violare [sacra]. Paul. p. 365,2: Temerare violare sacra . . . . .

---

40. Serv. interpol. Aen. VIII 106: ‚Dabant‘ verbo sacrorum usus est: nam dici solebat in sacris ‚da quod debes de manu dextra aris‘.

cf. Arnob. adv. nat. VII 28. Corp. gloss. Lat. IV 327,22. Kretzer p. 71.

41. Serv. Aen. VI 244: Et fundere est supina manu libare, quod fit in sacris supernis; vergere autem est conversa in sinistram partem manu ita fundere, ut patera convertatur, quod in infernis sacris fit. Serv. interpol. Aen. VIII 275: Tantum diis superis vino libari decebat. Serv. Aen. VI 225: Diis superis tantum libabant, inferis vero sacrificantes etiam vasa in ignem mittebant.

1 et fundere] effundere *AS.* — 5 vina *Daniel.*

42. Paul. p. 18,11: Atanuvium est poculi fictilis genus, quo in sacrificiis utebantur sacerdotes Romani.

atanuvium *vg. Lind.,* athanuvium *MGu.* cf. Corp. gloss. Lat. II 22,47: „Atanulus ἅγιον ἱερέως σκεῦος, κειμήλιον“. IV 406,33: „Atanulu genus vasis“. V 591,18: „Atanulum genus vasis (rasis *cod.*)“.

Kretzer p. 49. hic etiam cetera omnia vocabula vasorum, quibus Romani in sacris utebantur, composuit.

43. Porphyr. ad Horat. carm. I 31,11: Proprie autem culilae calices sunt quidam fictiles, quibus pontifices virginesque Vestales in sacris utuntur.

Kretzer p. 71.

44. Varr. de l. l. V 122: Praeterea in poculis erant paterae, ab eo quod patent ita dictae. . . . . . et in sacrificando deis hoc poculo magistratus dat deo vinum. Fest. p. 250b29: ‚Pateram perplovere‘ in sacris cum dicitur, significat pertusam esse.

4 perpluere *coni. Ursinus, sed cf. Kretzer p. 75.*

45. Paul. p. 337,10: Simpulum vas parvulum non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabatur; unde et mulieres rebus divinis deditae simpulatrices. Schol. Iuv. VI 343: Simpuvium: vas sacrificiis aptum, in quo pontifices lavare solebant. simpuvium autem, quia omnes sacerdotes simul bibebant, unde simpuviatrix illa dicitur, quae porrigit poculum ipsum.

De utroque vocabulo cf. Kretzer p. 66. simpolatores reperiuntur apud Fulgent. Serm. ant. 47 (p. 123,18 [Helm]). de simpulis cf. praeterea Plin. Nat. hist. XXXV 158: „In sacris quidem etiam inter has opes hodie non murrinis crystallinisve, sed fictilibus prolibatur simpulis (simpulis *cod. Barb.*, simpuls *B*¹, simpulsa *B*², simpuis *C*), inenarrabili Terrae benignitate, si qui singula aestimet“.

46. Serv. interpol. Aen. IX 641: . . . . . et in pontificalibus sacrificantes dicebant ‚deo macte hoc vino inferio esto‘. Arnob. adv. nat. VII 31: Operae pretium est etiam

verba ipsa depromere, quibus cum vinum datur uti ac supplicare consuetudo est: ‚Mactus hoc vino inferio esto'.

2 inferior *F, corr. Daniel.*

cf. Cat. de agric. 132 et 134. Marquardt, Roem. Staatsverw. III² p. 169 adn. 5. Kretzer p. 74. falsam explicationem vocabuli *inferius* praebet Paul p. 113,2: „Inferium vinum id, quod in sacrificando infra paterae labrum ponebatur". dici solebat: vinum inferre (in aram); cf. Kretzer p. 59.

47. Serv. Aen. V 77: ‚Rite' secundum ritum sacrificii, quo exigebatur, ut libaret de mero Baccho, id est puro.

quo *F,* quod *reliqui.* — exigebat *codd., corr. Schoellius.*

48. Fest. p. 348b19: Spurcum vinum est, quod sacris adhiberi non licet, ut ait Labeo Antistius l. X. commentarii iuris pontificii (Bremer II 1 p. 80 fr. 15), cui aqua admixta est, defrutumve aut igne tactum est, mustumve antequam defervescat.

de fructum ve *cod.,* defrutumve *vg. Urs.*

cf. Plin. Nat. hist. XIV 19. Isidor. Orig. XX 3,7. Kretzer p. 78.

49. Paul. p. 12,3: Adtegrare est vinum in sacrificiis augere.

vino sacrificium augere *Scal.*

cf. Kretzer p. 45.

50. Plin. Nat. hist. XIV 88: Romulum lacte, non vino libasse indicio sunt sacra ab eo instituta, quae hodie custodiunt morem. Numae regis Postumia lex est: Vino rogum ne respargito. quod sanxisse illum propter inopiam rei nemo dubitet. eadem lege ex inputata vite libari diis nefas statuit . . . . . Plut. Num. c. 14: *Οἷον τὸ μὴ σπένδειν θεοῖς ἐξ ἀμπέλων ἀτμήτων μηδὲ θύειν ἄτερ ἀλφίτων.*

cf. Serv. Ecl. II 70: „Nam in sacris dicitur, quod corripiatur furore, qui sacrificaverit de vino, quod est de vitibus inputatis".

---

51. Gell. Noct. Att. IV 6,7: Eadem autem ratione verbi praecidaneae quoque hostiae dicuntur, quae ante sacrificia sollemnia pridie caeduntur.

cf. Serv. Aen. II 202. hae praecidaneae hostiae ante sacrificia publica pridie immolabantur, ut, si piaculum committeretur, iam antea expiaretur. hoc modo etiam dies ante ferias publicas appellabantur feriae praecidaneae. de his cf. Gell. Noct. Att. IV 6,9 sq.: „Sed porcam et hostias quasdam ‚praecidaneas', sicuti dixi, appellari volgo notum est, ferias ‚praecidaneas' dici id, opinor, a volgo remotum est. propterea verba Atei Capitonis ex quinto librorum, quos de pontificio iure composuit (Bremer II 1 p. 272 fr. 1), scripsi: Tib. Coruncanio pontifici maximo feriae praecidaneae in atrum diem inauguratae sunt. collegium decrevit non habendum religioni, quin eo die feriae praecidaneae essent." de vocabulo *praecidanea hostia* cf. etiam Fest. p. 253b5: „[Praecidere id est antecidere dici]tur quod (qui d *cod.*) [ante immolare]." Paul. p. 223,19: „Praecidanea agna vocabatur, quae ante alias caedebatur." Marquardt III² p. 180. Wissowa p. 372. Kretzer p. 63. Krause, De Rom. host. quaest. sel. p. 28.

52. Cic. de leg. II 12,29: Iam illud ex institutis pontificum et haruspicum non mutandum est, quibus hostiis immolandum quoique deo, cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui feminis.

Liv. XXII 1,15. XXXVII 3,6. Cat. de agric. 141,3. de maioribus et lactentibus hostiis cf. Krause p. 5 sqq.

53. Arnob. adv. nat. VII 19: Nam dis feminis feminas, mares maribus hostias immolare abstrusa et interior ratio est vulgique a cognitione dimota.

cf. Cic. de leg. II 12,29 (fr. 52). hoc praeceptum in sacrificiis, quae fiebant ritu Romano, semper observatum est. de eis autem sacrificiis, in quibus violatum esse videtur, cum fierent ritu Graeco, cf. Wissowa p. 354 adn. 4. Krause p. 20 sqq.

54. Liv. XXVII 25,7 sqq.: Marcellum aliae atque aliae obiectae animo religiones tenebant, in quibus quod, cum bello Gallico ad Clastidium aedem Honori et Virtuti vovisset, dedicatio eius a pontificibus impediebatur, quod negabant, unam cellam duobus recte dedicari, quia, si de caelo tacta aut prodigi aliquid in ea factum esset, difficilis procuratio foret, quod utri deo res divina

fieret, sciri non posset: neque enim duobus nisi certis deis rite una hostia fieri.

cf. Valer. Maxim. I 1,8.

55. Plin. Nat. hist. VIII 206: Coruncanius (Bremer I p. 8 fr. 1) ruminalis hostias donec bidentes fierent puras negavit.

De vocabulo *bidens* cf. Paul. p. 4,17. Gell. Noct. Att. XVI 6,12 sqq. Serv. Aen. IV 57. VI 39. Macrob. Sat. VI 9,5 sqq. Paul. p. 35,2. 66,16. Luebbert, Comment. pont. p. 109. Krause p. 6 sqq. Kretzer p. 70. Marquardt III² p. 171 adn. 6.

56a. Plin. Nat. hist. VIII 206: Suis fetus sacrificio die quinto purus est, pecoris die VII, bovis XXX.

VII *F²R*, VI *r*.

b. Varr. de re rust. II 4,16: Cum porci depulsi sunt a mamma, a quibusdam delici appellantur neque iam lactentes dicuntur, qui a partu decimo die habentur puri, et ab eo appellantur ab antiquis sacres, quod tum ad sacrificium idonei dicuntur primum.

cf. Varr. de re rust. II 1,20: „Fere ad quattuor menses a mamma non diiunguntur agni, haedi tres, porci duo. e quis qui iam puri sunt ad sacrificium, ut immolentur, olim appellati sacres . . . . . sic boves altiles ad sacrificia publica saginati dicuntur opimi.“ — Fest. p. 286b17: „Etiam in commentariis sacrorum pontificalium frequenter est hic ovis et haec agnus, haec porcus.“ ad hoc cf. voces *agnus femina* in Gell. Noct. Att. IV 3,3 (fr. 113), *porcus femina* in Cic. de leg. II 22,57, *bos femina* apud Liv. XXVII 37,11, *bos alba* apud Paul. p. 4,9. Henzen, Act. fratr. Arval. p. 92. 96. 101. 102.

57. Plin. Nat. hist. X 156: (Gallinae) ad rem divinam luteo rostro pedibusque purae non videntur, ad oportanea sacra nigrae.

58. Macrob. Sat. III 5,6: Eximii quoque in sacrificiis vocabulum non poeticum ἐπίθετον, sed sacerdotale nomen est. Veranius enim in pontificalibus quaestionibus (Bremer II 1 p. 8 fr. 8) docet eximias dictas hostias, quae ad sacrificium destinatae eximantur e grege, vel

quod eximia specie quasi offerendae numinibus eligantur. Serv. Aen. IV 57: Moris enim fuerat, ut ad sacrificia eligerentur oves, quibus nihil deesset.

cf. Paul. p. 82,3. Kretzer p. 72. — Fest. p. 186b19: „Optatam hostiam, alii optimam appellant eam, quam aedilis tribus constitutis hostiis optat, quam immolari velit.“ Cic. de divin. II 15,35. Kretzer p. 75. Krause p. 28.

59. Plin. Nat. hist. VIII 183: Quamobrem victimarum probatio in vitulo, ut (cauda) articulum suffraginis contingat. breviore non litant.

cf. Marquardt III² p. 171.

60. Paul. p. 113,1: Infulae sunt filamenta lanea, quibus sacerdotes et hostiae templaque velantur. Varr. de l. l. VII 24: Infulatas hostias, quod velamenta his e lana quae adduntur infulae.

infulatas hostias *Mueller*, infulas hostiis *codd.*, infulas in hostiis *vulg. ex B.*

De infulis cf. Serv. Aen. X 538: „‚Infula‘ fascia in modum diadematis, a qua vittae ab utraque parte dependent: quae plerumque lata est, plerumque tortilis de albo et cocco.“ Serv. Aen. XI 101: „. . . . . . cum vittis non aut velentur aut coronentur victimae, sed ornentur.“ Serv. Aen. II 133. Krause p. 27.

61. Plin. Nat. hist. XXXIII 39: Deorum honoris causa in sacris nihil aliud excogitatum est quam ut auratis cornibus hostiae, maiores dumtaxat, immolarentur. Serv. Aen. IX 624: ‚Aurata fronte‘ ita enim victimae ornari consueverant.

cf. Verg. Aen. V 366. IX 627. Krause p. 26.

62. Serv. Aen. II 134: Nam piaculum est in sacrificio aliquid esse religatum. . . . . . . nam consuetudo illa, quam supra diximus, erat in ipso tempore sacrificiorum.

Quae verba ad hostias pertinere docet Verg. Aen. II 134. IV 518. cf. Serv. Aen. IV 518.

63. Macrob. Sat. III 5,8: Observatum est a sacrificantibus, ut, si hostia, quae ad aras duceretur, fuisset vehementius reluctata ostendissetque se invitam altaribus

admoveri, amoveretur, quia invito deo offerri eam putabant. quae autem stetisset oblata, hanc volenti numini dari aestimabant. Brev. expos. in Verg. Georg. II 395: Quotienscumque [in sudibus] devota victima ⟨vincula⟩ rumpit et fugit, magnum exitium significat.

3 vehementius retenta *P.* — 4 amoveretur *om. P.* — 7 in sudibus *secl. Hagen.* — vincula *suppl. Hagen.*

cf. etiam Serv. interpol. Georg. II 395: „Inprobant enim aruspices hostiam, quae admota altaribus reluctatur." Marquardt III[2] p. 180 adn. 6.

64. Serv. interpol. Aen. II 140: Sed hic dicendo ‚effugia' verbo sacrorum et ad causam apto usus est. nam hostia, quae ad aras adducta est immolanda, si casu effugeret, ‚effugia' vocari veteri more solet; in cuius locum quae supposita fuerat, succidanea; si gravida fuerat, forda dicitur; quae sterilis autem est, taurea appellatur.

5 forna C.

cf. Gell. Noct. Att. IV 6,5. Kretzer p. 54. Krause p. 27.

65. Serv. Aen. II 104: Ideo autem dicit ‚mercentur', quia sacrorum est, ut fugiens victima, ubicumque inventa sit, occidatur, ne piaculum committatur.

66. Paul. p. 244,16: Piacularia auspicia appellabant, quae sacrificantibus tristia portendebant, cum aut hostia ab ara effugisset, aut percussa mugitum dedisset aut in aliam partem corporis, quam oporteret, cecidisset.

67. Serv. Georg. II 395: Tunc est enim aptum sacrificium, cum dedicatum animal victimae patiens invenitur.

cf. Macrob. Sat. III 5,8 (fr. 63).

68. Fest. p. 165a2: Nectere ligare significat, et est apud plurumos auctores frequens, quin etiam in commentario sacrorum usurpatur hoc modo: ‚Pontifex minor ex stramentis napuras nectito', id est funiculos facito, quibus sues adnectantur.

naturas *cod., corr. A. Aug.*

cf. Fest. p. 169a22. Kretzer p. 61. Wissowa p. 447.

69. Serv. Aen. III 178: ‚Intemerata' rite perfecta, ut, si leniter vinum fundendum est aut mola inicienda, sic fiant, ut ratio exigit sacrificii.

70. Fest. p. 141a31: Mola etiam vocatur far tostum et sale sparsum, quod eo molito hostiae asperguntur. Serv. Aen. II 133: Sal et far, quod dicitur mola salsa, qua et frons victimae et foci aspergantur et cultri. fiebat autem de horna fruge et horno sale . . . . . . Serv. et Serv. interpol. Aen. XII 173: Far et sal: quibus rebus et cultri aspergebantur et victimae. erant autem *istae* probationes, utrum aptum esset animal sacrificio. obliquum etiam cultrum a fronte usque ad caudam ante immolationem ducere consueverant.

4 fiebat *HE*, fiebant *LCP*, fit *M*. — 5 orna *et* orno *codd.* — 6 far et sal] fruges salsas et ferro *F*. — 8 oblique *AS*, oblicum *F*.

cf. Paul. p. 3,10. Varr. de l. l. V 104. Paul. p. 110,5: „Immolare est mola, id est farre molito et sale, hostiam perspersam sacrare." Serv. interpol. Aen. X 541: „Sane immolari proprie dicuntur hostiae, non cum caeduntur, sed cum accipiunt molam salsam."

70a. Serv. interpol. Ecl. VIII 82: ‚Sparge molam' far et salem. hoc nomen de sacris tractum est: far enim pium, id est mola casta, salsa — utrumque enim idem significat — ita fit: virgines Vestales tres maximae ex Nonis Maiis ad pridie idus Maias alternis diebus spicas adoreas in corbibus messuariis ponunt easque spicas ipsae virgines torrent, pinsunt, molunt atque ita molitum condunt. ex eo farre virgines ter in anno molam faciunt, Lupercalibus, Vestalibus, idibus Septembribus, adiecto sale cocto et sale duro. Paul. p. 65,1: Casta mola genus sacrificii, quod Vestales virgines faciebant. Fest. p. 158b28: Muries est, quemadmodum Veranius docet (Bremer II 1 p. 8 fr. 10), ea quae fit ex sali sordido in pila pisato et in ollam fictilem coniecto ibique operto gypsatoque et in furno percocto, cui virgines Vestales serra ferrea secto et in seriam coniecto, quae est intus in aede Vestae in penu

exteriore, aquam iugem vel quamlibet praeterquam quae per fistulas venit addunt atque ea demum in sacrificiis utuntur.

6 corbibus *Scaliger,* corvibus *L,* cornibus *Daniel.* — 7 pinsunt *Commelinus*, pindunt *L.* — 11 muri *cod.*, *corr. Urs.*

De eadem murie Varro apud Non. p. 223,17 M. Fabii Pictoris (Bremer I p. 10 fr. 2) verba affert, quae cum eis Veranii optime concinunt. Paul. p. 3,10: „Ador farris genus, edor quondam appellatum ab edendo, vel quod aduratur, ut fiat tostum, unde in sacrificio mola salsa efficitur.“ Fest. p. 141a31. Iun. Philargyr. ad Verg. Ecl. VIII 82. Wissowa p. 143.

71. Plin. Nat. hist. XXXI 89: Maxime tamen in sacris intellegitur auctoritas, quando nulla conficiuntur sine mola salsa. Plut. Num. c. 14: *Οἷον τὸ μὴ σπένδειν θεοῖς ἐξ ἀμπέλων ἀτμήτων μηδὲ θύειν ἄτερ ἀλφίτων.*

72. Serv. Aen. VI 244: ‚Invergit vina sacerdos‘ in quarto ait ‚media inter cornua fundit‘ et fundere est supina manu libare, quod fit in sacris supernis; vergere autem est conversa in sinistram partem manu ita fundere, ut patera convertatur, quod in infernis sacris fit. haec autem pertinent ad victimarum explorationem, ut, si non stupuerint, aptae probentur. Serv. Aen. IV 61: ‚Media inter cornua fundit‘ non est sacrificium, sed hostiae exploratio, utrum apta sit.

cf. Fest. p. 289b27: „Respici avis [tum dicitur, cum peracto sacri]ficio quasi finis imp[etratus est . . . . .] comitia perfecta sum . . . . [sacer]dotes suo more, alisque . . . . . [religio]nem luci, in quo sacra fa[c . . . . . . ca]latoribus ingeniculato . . . . vinum in caput infun[debatur solenni cum pre]catione.“

73. Serv. Aen. IX 641: ‚Macte‘ magis aucte, adfecte gloria. et est sermo tractus a s a c r i s: quotiens enim aut tus aut vinum super victimam fundebatur, dicebant ‚mactus est taurus vino vel ture‘, hoc est cumulata est hostia et magis aucta.

aut tus] aut thus *R*, auctus *M*, mactus *F*, *om. AS.*

cf. Non. p. 341,35 M. Kretzer p. 74.

74. Serv. Aen. VIII 85: Mactatio post immolationem est; unde bono usus est compendio. sane hysteroproteron est in hoc versu: primum enim est ,cum grege sistit ad aram' et sic ,mactat' id est auget, perficit.

cf. Serv. interpol. Aen. IV 57: „,Mactant' verbum sacrorum κατ' εὐφημισμὸν dictum, quasi magis auctum: unde et magmentum dicebant, quasi maius augmentum. olim enim hostiae ,immolatae' dicebantur mola salsa tactae; cum vero ictae et aliquid ex illis in aram datum ,mactatae' dicebantur [per laudationem] per boni ominis significationem." Non. p. 341,27 M. Marquardt III² p. 184. Krause p. 27. Kretzer p. 74.

75. Serv. Aen. VI 248: ,Supponunt cultros' id est victimas caedunt. fuit autem verborum sacrorum, in quibus mali ominis verba vitabant. hinc est, quod et mactare dicebatur, quod magis augere significat.

mactare *M*, macta *RASH*, macte *vulg.*

De usu cultrorum in sacrificiis cf. Marquardt III² p. 168. Macrob. Sat. V, 19,11: „Omnino autem ad rem divinam pleraque aenea adhiberi solita, multa indicio sunt et in his maxime sacris, quibus delinire aliquos aut devovere aut denique exigere morbos volebant." Kretzer p. 79.

76. Paul. p. 10,1: Acieris securis aerea, qua in sacrificiis utebantur sacerdotes.

cf. Corp. gloss. Lat. II 13,9. IV 202,39. V 436,15. 590,63. Kretzer p. 44.

77. Corp. gloss. Lat. V 22,2: Forco, quam nunc falliscum appellamus, nunc culter, alias securis, qua pontifices in sacris utuntur, dicta ab eo quod feriendo petat.

Corp. gloss. Lat. V 70,7. Kretzer p. 56.

78. Fest. p. 348a4: [S]ecespitam esse Antisti[us Labeo (Bremer II 1 p. 76 fr. 2) ait cultrum] ferreum, oblongum, mani[brio eburneo, rotund]o, solido, vincto ad ca[pulum auro argentoque] fixum clavis aeneis ae[re Cyprio, quo flamin]es, flaminicae, virgi[nes pontificesque ad sac]rificia utuntur.

cf. Serv. interpol. Aen. IV 262. Peter fr. 51. Kretzer p. 65.

79. Fest. p. 330a33: Scenam genus [fuisse ferri] manifestum est, sed utrum securis, an dolabra sit, ambigitur. quam Cincius in libro, qui est II. de verbis priscis (Bremer I p. 259 fr. 17), dolabram ait esse pontificiam.

cultri *pro* ferri *suppl. Ursinus.* — quam] quamquam *Huschke, Iurispr. Antei.*[4] *p. 88 adn. 4.* — II.] ei *cod.,* II. *sive* secundus *corr. A. Aug. Urs.*

cf. Fest. p. 318b16. Peter fr. 58. Kretzer p. 66.

80. Paul. p. 244,18: Pestifera auspicia esse dicebant, cum cor in extis aut caput in iocinore non fuisset.

Vocem *inspicere exta* vocem sollemnem fuisse pontificum Romanorum docet Cic. de divin. II 12,28.

81. Serv. interpol. Aen. II 119: Videtur sane peritia iuris pontificalis animalis hostiae mentionem fecisse, cum dicit ‚animaque litandum Argolica'; nam et ‚animam' dixit et ‚litare' verbo pontificali usus est, id est sacrificiis deos placare.

Quid significet *litare,* aperte dicit Lact. Plac. comm. in Stat. Theb. X 610: „Inter ‚litare' enim et ‚sacrificare' hoc interest: sacrificare est hostias immolare, litare vero per immolationem hostiarum impetrare, quod postules." hoc intellegendum est: inspectis extis. cf. Macrob. Sat. III 5,4. Marquardt III^2 p. 182. Wissowa p. 353 (adn. 3). Kretzer p. 74.

82. Varr. de l. l. V 98: Sus — bos — taurus — ovis — vitulus — iuvencus — capra — ircus — porcus — aries — arviga. haec sunt, quorum in sacrificiis exta in olla, non in veru coquuntur, quas et Accius scribit et in pontificiis libris videmus.

ollo *F.* — pontificalibus *vulg. ex B.*

Paul. p. 23,13. de arviga cf. Varr. de l. l. V 98. Paul. p. 100,6. Kretzer p. 57. de extis coquendis et prosecandis cf. Luebbert, Comment. pont. p. 121 sqq.

83. Paul p. 21,7: Ablegmina partes extorum, quae dis immolabant.

ablegmina *MGu. Lind.*, albegmina *vg.* — immolabant *Thewrewk v. Ponor*, immolantur *Mueller*.

cf. Corp. gloss. Lat. V 589,28: „Ablegmina partes extorum, quae prosegmina dicuntur.“ Paul. p. 78,18. Kretzer p. 44.

84. Paul. p. 78,18: Exta dicta, quod ea diis prosecentur, quae maxime exstant eminentque.

cf. Cat. de agric. 134,4. Suet. Aug. c. 1. Liv. V 21,8. Verg. Georg. II 194. Lucan. VI 710.

85a. Arnob. adv. nat. VII 25: Quod si omnes has partes, quas prosicias dicitis, accipere dii amant suntque illis gratae vel voluptatis alicuius vel dulcedinis sensu, quid intercedit, quid prohibet, ut non semel haec omnia totis cum animalibus inferatis?

2 prosicias *Turnebus, Ursinus*, praesicias *P.*

cf. Solin. V 23. Martian. Cap. I 9.

b. Lactant. Plac. ad Stat. Theb. V 641: Prosecta autem dicuntur exta, cum redduntur inspecta. verbo sacrificantum usus est. particulae enim minutae membrorum omnium prosecta dicuntur in sacris, quae inferuntur aris.

4 omnes *cod. Paris. 8064*.

Dion. Hal. VII 72,15. Varr. de l. l. V 110.

cf. Non. p. 220,23 M.: „Varro Rerum divinarum lib. XI: prosiciem extorum vel in mensam porricere“. Paul. p. 225,15: prosicium.

Vocibus igitur *prosiciae, prosecta, prosicies, prosicium* in sacrificiis exta significantur, quae certa quadam ratione comparata diis porriciebantur; cf. Marquardt III² p. 183. Kretzer p. 64.

86. Varr. de l. l. V 112: Augmentum quod ex immolata hostia desectum inicitur in porriciendo augendi causa. magmentum a magis quod ad religionem magis pertinet.

augumentum *Aug. Mueller*, agumentum *Laetus*, *item B supra scripto* καὶ agmentum. — inicitur *coni. Luebbert, Comment. pont. p. 128*, in iecore *codd.* — imporiendo *F*, imponendo *vulg. ex B*, in ponendo *Laetus*, in porriciendo *L. Spengel*, imponitur in porriciendo *A. Spengel*, iecore in

porriciendo *Christ.* — magmentum *vulg. ex B,* magnentum *cett. codd.,* magnetum *Laetus.*

cf. Arnob. adv. nat. VII 24. Serv. Aen. IV 57. Magmentum significat carnes, quae extis additae in aris ponebantur, augmentum fortasse easdem vel alia, quae extis comparandis addebantur. Marquardt III² p. 184. Luebbert, Comment. pont. p. 128 sq. Wissowa p. 352. Kretzer p. 74.

87. Arnob. adv. nat. VII 24: Quid taedae, quid neniae, quid offae non vulgi sed quibus est nomen appellatioque penitae? ex quibus quod primum est, in exiguas arvina est miculas catillaminum insecta de more, quod in secundo situm est, intestini est perrectio, per quam proluvies editur sucis perexsiccata vitalibus. offa autem penita est, cum particula visceris cauda pecoris amputata.

1 taedae *P,* tuceta *Gelenius,* taxiae *Salmasius,* codae *Meursius.* — neniae *P,* taeniae *Scaliger, Ursinus.* — 3 penitae *Sabaeus,* penti$\overset{n}{*}$ae *P.* — 4 cat*illaminuam *P,* at illa minutim *Sabaeus,* catillaminum *Meursius.* — 5 porrectio *Sabaeus.* — 6 perexsiccata] percocta et exsiccata *coni. Reifferscheid.* — pennita *P.*

Paul. p. 163,2. Fest. p. 242b24. Hae sunt appellationes carnum, quae extis additae in aris ponebantur; cf. fr. 86. Marquardt III² p. 183. Kretzer p. 79. 61. 75.

88. Arnob. adv. nat. VII 24: Non enim placet carnem strebulam nominare, quae taurorum ex coxendicibus demitur, pulpamenta non assa, non quae in veribus exta sunt, animata prunis et torrefacta carbonibus, non salsamina denique, quae sunt una commixtio quadrinis copulata de frugibus; non similiter fendicas, quae et ipsae sunt hirae, quas plebis oratio illas solet, cum eloquitur, nuncupare; non ratione eadem et rumas, quae sunt prima in gurgulionibus capita, qua deicere cibos et referre natura est ruminatoribus saeculis.

2 et condicibus *P.* — 3 non *ante* quae *add. Meursius.* — 4 prunis *Reifferscheid,* prius *P.* — 8 aerumnas *P,* rumas *coni. Baluzius.*

cf. Fest. p. 313a34: „Strebula Umbrico nomine Plautus appellat coxendices hostiarum, quas G[raeci μηρία dicunt, quae] in altaria in[poni solebant].“ Varr. de l. l. VII 67. Kretzer p. 55.

89. Arnob. adv. nat. VII 24: Quid polimina, quid omenta, quid palasea sive ut quidam cognominant plasea? ex quibus est omentum pars quaedam quo receptacula ventrium circumretita finiuntur; bovis cauda est plasea siligine et sanguine delibuta, polimina porro sunt ea, quae nos proles verecundius dicimus, a volgaribus autem adsolent cognomine testium nuncupari.

1 omenta *Sabaeus*, momenta *P.* — 2 palas*ea *P.* — plasea *Gelenius*, plassea *P.* — 3 nomen omenti *P*, omentum *Reifferscheid*.

cf. Kretzer p. 63.

90. Arnob. adv. nat. VII 24: Sed si magnificum videtur atque amplum iugulare diis tauros, si inlibata, si solida concremari animantium viscera, quid sibi reliqua haec volunt magorum cohaerentia disciplinis, quae in sacrorum reconditis legibus pontificalia † restituere mysteria et rebus inseruere divinis? quid, inquam, sibi haec volunt: apexaones, hirciae, silicernia, longavi? quae sunt nomina et farciminum genera, hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus. Varr. d. l. l. V 111: Ab eadem fartura farcimina extis appellata, a quo in eo quod tenuissimum intestinum fartum hila dicta ab hilo ..... quod in hoc farcimine summo quiddam eminet, ab eo quod ut in capite apex, apexabo dicta. tertium fartum est longavo, quod longius quam duo illa. Paul. p. 114,1: Ircei genus farciminis in sacrificiis.

5 restituere] instituere *coni. Reifferscheid.* — 7 apexabo *Sabaeus*, apexabones *Hildebrandius.* — hirciae *P*, issicia *Sabaeus.* — longavi *Salmasius*, longaevi *P*, longavo *Sabaeus.* — 8 farciminum *Sabaeus*, facinorum *P.* — 11 hila dicta ab hilo] ab hilo
hila dicta. hilo quod F^1, hila dicta ab hilo hilo quod *cett. codd.*, hila ab hilo dicta id est minimo quod *Laetus*.

cf. Corp. gloss. Lat. V 440,30. 561,31. Quod attinet ad

farciminum nomina, quae fuerint vera, vix dici potest. Marquardt III² p. 184. Kretzer p. 47 et 59.

91. Macrob. Sat. III 2,3: Nam et ex disciplina haruspicum et ex praecepto pontificum verbum hoc sollemne sacrificantibus est, sicut Veranius ex primo libro Pictoris (Bremer I p. 11 fr. 4) ita dissertationem huius verbi exsecutus est: exta porriciunto, dis danto, in altaria aramve focumve eove quo exta dari debebunt. Varr. de re rust. I 29,3: Sic quoque exta deis cum dabant, porricere dicebant. Fest. p. 218a25: [Porriciam porro ia]ciam, maxime [de extis dicebant antiqui ...... porricitur autem in mensis a]risque, quod consecran[dum est deo.]

5 porriciunt | *P.* — distato in altaramve *B*, distanto aramve *b*, dis dando *P*.

Arnob. adv. nat. II 68. Serv. Aen. V 238. Kretzer p. 76. de mensis cf. Macrob. Sat. III 11,5 sq. Serv. interpol. Aen. XI 19. Fest. p. 158a18. Paul p. 77,11. 19,12. 64,11.

92. Serv. Georg. II 194: ‚Reddimus exta' sacerdotum usus est verbo; reddi enim dicebantur exta, cum probata et elixa arae superponebantur.

cf. Lact. Plac. ad Stat. Theb. V 641 (fr. 85 b). Serv. Aen. VIII 269. Kretzer p. 77.

93. Macrob. Sat. I 16,3: Nam cum hostia caeditur fari nefas est, inter caesa et porrecta fari licet, rursus cum adoletur non licet.

rursus ..... licet *om. P.*

Varr. de l. l. VI 31. Marquardt III² p. 184. de verbo *adolere* cf. Serv. et Serv. interpol. Aen. I 704: „In sacris autem κατ᾽ εὐφημισμὸν adolere per bonum omen dicitur; nam in aris non adolentur aliqua, sed cremantur *et consumuntur.*" Serv. Ecl. VIII 65. Non. p. 58,18 M. 247,35 M. Lact. Plac. ad Stat. Theb. I 514. Schol. Bern. Append. ad Verg. Ecl. VIII 65. Kretzer p. 69.

94. Serv. Aen. III 231: Sane sciendum iterationem hanc fieri secundum ritum sacrorum; nam displicuisse prima ex prodigiis indicatur.

cf. Plut. Coriol. c. 25: „*Θυσίας δὲ καὶ πομπὰς καὶ θέας οὐ μόνον ἐξ αἰτίας τηλικαύτης, ἀλλὰ καὶ διὰ μικρὰς Ῥωμαίοις ἔθος ἐστὶν ἀναλαμβάνειν.*“ Wissowa p. 350.

95. Serv. Aen. VIII 641: . . . . aut certe illud ostendit, quia in omnibus sacris feminini generis plus valent victimae. denique si per marem litare non possent, succidanea dabatur femina; si autem per feminam non litassent, succidanea adhiberi non poterat. Gell. Noct. Att. IV 6,5 sq.: Succidaneae autem hostiae dicuntur ae littera per morem compositi vocabuli in ⟨i⟩ litteram mutata quasi succaedaneae appellatae, quoniam, si primis hostiis litatum non erat, aliae post easdem ductae hostiae caedebantur; quae quia prioribus iam caesis luendi piaculi gratia subdebantur et succidebantur, succidaneae nominatae littera ⟨i⟩ scilicet tractim pronuntiata.

3 succedanea *ASM (corr. a)*, sucedanea *F*. — 4 feminina *L*. — litasset *LHM (corr. l)*. — succedanea *ASMF (corr. a)*

cf. Fest. p. 302a23. Serv. interpol. Aen. II 140 (fr. 64). Marquardt III² p. 171. Wissowa p. 350. Krause p. 30 sq. Kretzer p. 68.

96. Serv. interpol. Aen. IV 646: Et sciendum, siquid caeremoniis non fuerit observatum, piaculum admitti.

in ceremoniis *Masvicius primus.*

97. Gell. Noct. Att. V 17,2: Pontifices decreverunt nullum his diebus (sc. postridie Kalendas, Nonas, Idus) sacrificium recte futurum. Gell. Noct. Att. IV 9,5: Religiosi enim dies dicuntur tristi omine infames inpeditique, in quibus et res divinas facere et rem quampiam novam exordiri temperandum est, quos multitudo imperitorum prave et perperam nefastos appellat.

B. De singulis sacrificiis.

De singulis sacrificiis et feriis publicis in universum cf. Serv. et Serv. interpol. Aen. III 118: „Ratio enim victimarum fit pro qualitate numinum: nam aut haec immolantur, quae obsunt eorum muneribus, ut porcus Cereri, quia obest frugibus, hircus Libero, quia vitibus nocet: aut certe ad similitudinem, ut inferis nigras pecudes, superis albas immolent, *idem* tempestati atras, candidas serenitati. *sane hic ostendit dicendo ,meritos' rite Neptuno et Apollini tauros immolari.*" Serv. Georg. II 380. Brev. exposit. in Verg. Georg. II 380. — Macrob. Sat. I 16,5 sq.: „Feriarum autem publicarum genera sunt quattuor: aut enim stativae sunt aut conceptivae aut imperativae aut nundinae. et sunt stativae universi populi communes certis et constitutis diebus ac mensibus et in fastis statis observationibus adnotatae, in quibus praecipue servantur Agonalia, Carmentalia, Lupercalia. conceptivae sunt, quae quotannis a magistratibus vel sacerdotibus concipiuntur in dies vel certos vel etiam incertos ut sunt Latinae, Sementivae, Paganalia, Compitalia. imperativae sunt, quas consules et praetores pro arbitrio potestatis indicunt. nundinae sunt paganorum itemque rusticorum, quibus conveniunt negotiis propriis vel mercibus provisuri." Fest. p. 245a28: „Publica sacra, quae publico sumptu pro populo fiunt, quaeque pro montibus, pagis, curis, sacellis. at privatae, quae pro singulis hominibus, familiis, gentibus fiunt." Fest. p. 253a13: „Popularia sacra sunt, ut ait Labeo (Bremer II 1 p. 78 fr. 6), quae omnes cives faciunt nec certis familiis adtributa sunt, Fornacalia, Parilia, Laralia, porca praecidanea."

98. Varr. de l. l. VI 12: Dies Agonales per quos rex in regia arietem immolat, dicti ab ,agon' eo quod interrogatur a principe civitatis et princeps gregis immolatur.

agon *Aldus*, agone *sive* agoneo *codd.*

cf. Paul. p. 10,5: „Agonium dies appellabatur, quo rex hostiam immolabat; hostiam enim antiqui agoniam vocabant. Agonium etiam putabant deum dici praesidentem rebus agendis; Agonalia eius festivitatem. sive quia agones dicebant montes, Agonia sacrificia, quae fiebant in monte." Ovid. fast. I 317 sqq.

Agonium in Iani honorem celebratum esse ex Ovid. fast. I 318 cognoscitur; cf. Marquardt III² p. 323 adn. 5. Wissowa p. 91. hoc agonium celebrabatur a. d. V. Idus Ian. de vocabulo *agonia* cf. Kretzer p. 45. Krause p. 25.

99. Paul. p. 104,18: Ianual libi genus, quod Iano tantummodo libatur.

libatur *Mvg.*, delibatur *cett. codd. Lind.*

Ianual Kalendis Ianuariis oblatum esse docet Varro apud Laurent. Lyd. de mens. IV 2 (p. 65,2 sq. W.). Ovid. fast. I 127 id libum Cereale appellat ea de causa, quod ex frumento erat, non quod Cereri simul dicatum esset.

100a. Macrob. Sat. III 10,3 et 7: Cuius verba (sc. Atei Capitonis) ex libro primo de iure sacrificiorum (Bremer II 1 p. 279 fr. 1) haec sunt: itaque Iovi tauro verre ariete immolari non licet. Labeo vero sexagesimo et octavo libro (Bremer II 1 p. 80 fr. 20) intulit nisi Neptuno Apollini et Marti taurum non immolari .... Ateius enim Capito (Bremer II 1 p. 279 fr. 2), quem in acie contra Maronem locasti, adiecit haec verba: siquis forte tauro Iovi fecerit, piaculum dato.

cf. Brev. exposit. in Verg. Georg. I 45. Serv. Aen. XII 110. Serv. interpol. Aen. II 202. sed omnibus nundinis flaminica in regia Iovi arietem immolabat; cf. Macrob. Sat. I 16,30 (fr. 104).

b. Serv. Aen. IX 624: ‚Iuvencum' autem secundum Romanas caerimonias dixit: nam Iovi de tauro non immolabatur, ut etiam in tertio diximus, nisi cum triumphi nomine suovetaurium fiebat: quod tamen ideo admissum

est, quia non tantum Iovi, sed et aliis diis, qui bello praesunt, sacrificatur.

2 non *om. F.* — 4 suovetaurium fiebat *RLHM*, suo vicarium faciebant. vetaurum fiebat *AS*, suo vicarium faciebant *F*, sue vel tauro fiebat *Stephanus et Fabricius*, suovetaurium faciebant *Daniel*, suovetaurilia fiebant *Masvicius*. — 5 et *om. ASLF.*

c. Serv. Aen. III 21: Contra rationem Iovi taurum sacrificat, adeo ut hinc putetur subsecutum esse prodigium. ubique enim Iovi iuvencum legimus immolatum.

101. Serv. et Serv. interpol. Aen. I 736: ‚Laticum libavit honorem' more sacrorum: et tangit ritum Romanorum, qui panicias sacratasque mensas habebant, in quas libabant . . . . . . *‚Laticum libavit honorem' diis enim hospitalibus et Iovi in mensam libabatur.*

2 sacrorum diis enim . . . . libabatur et tangit *C.*

cf. Macrob. Sat. III 11,3 sqq.

102. Serv. interpol. Aen. IV 577: Vel ‚quisquis es' secundum pontificum morem qui sic precantur: Iuppiter omnipotens, vel quo alio te nomine appellari volueris. Serv. interpol. Aen. II 351: . . . . . . et pontifices ita precabantur: Iuppiter optime maxime, sive quo alio nomine te appellari volueris.

3 te *om. F.*

103. Macrob. Sat. I 15,16 et 18: Sunt qui aestiment Idus ab ove Iduli dictas, quam hoc nomine vocant Tusci et omnibus Idibus Iovi immolatur a flamine . . . . ut autem Idus omnes Iovi ita omnes Kalendas Iunoni tributas et Varronis et pontificalis adfirmat auctoritas.

3 iovis immolatur *B.*

cf. Paul. p. 104,17: „Idulis ovis dicebatur, quae omnibus idibus Iovi mactabatur." Ovid. fast. I 56. 588. Plut. quaest. Rom. 24. Fest. p. 290b30: „Sacram viam . . . . . . quidam, quod eo itinere utantur sacerdotes idulium sacrorum conficiendorum causa." Varr. de l. l. V 47. Wissowa p. 101. ovem Idulem marem hostiam intellegendum esse, ut exigit ratio ritus Romani,

statuit Krause p. 11 sq. et 20. sacrum enim Idule inter Romana vetustissima est.

104. Macrob. Sat. I 16,30: Ait enim (sc. Granius Licinianus libro secundo, Huschke p. 108 fr. 2) nundinas Iovis ferias esse, siquidem flaminica omnibus nundinis in regia Iovi arietem soleat immolare, sed lege Hortensia effectum, ut fastae essent, uti rustici, qui nundinandi causa in urbem veniebant, lites componerent. nefasto enim die praetori fari non licebat.

105. Cic. de orat. III 19,73: Sed ut pontifices veteres propter sacrificiorum multitudinem tres viros epulones esse voluerunt, cum essent ipsi a Numa, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti; sic ......

Epula Iovis fiebant Idibus Septembribus et Novembribus; cf. Wissowa p. 101. 110 sq. 357. 385 sq. Marquardt III² p. 348 sqq.

106. Paul. p. 374,12: Vinalia diem festum habebant, quo die vinum novum Iovi libabant. Paul. p. 65,13: Calpar vinum novum, quod ex dolio demitur sacrificii causa, antequam gustetur., Iovi enim prius sua vina libabant, quae appellabant festa Vinalia.

cf. Paul. p. 46,17: „Calpar genus vasis fictilis.“ Corp. gloss. Lat. II 96,34: „Calpar *οἶνος ἐν θυσίᾳ* (calpar *cod.*).“ II 96,32: „Calcar (*corr. Scaliger*) *θυσίαι ἀπαρχῶν οἴνου*.“ V 14,10 = V 31,13: „Calpar vinum quod primum libatur e dulio.“ V 23,3: „Calpar vinum antiqui ita dicebant.“ Non. p. 546,28 M.: „Calpar nomine antiquo dolium. Varro de vita populi Romani lib. I: quod, antequam nomen dolii prolatum, cum etiam id genus vasorum calpar diceretur, id vinum calpar appellatum.“ Kretzer p. 51.

Celebrabantur Vinalia priora a. d. IX. Kal. Maias in Iovis honorem. Wissowa p. 102. 236.

107. Fest. p. 265a28: Rustica vinalia appellantur mense Augusto XIV. Kal. Sept. Iovis dies festus, quia Latini bellum gerentes adversus Mezentium omnis vini libationem ei deo dedicaverunt.

XIIII k ł *cod., in Plin. Nat. hist. XVIII 289 et* XIII *et* XIV *in libris reperitur, in Varr. de l. l. VI 20:* XII. —

post Iovis dies festus *verba* quo die primum in urbem vina deferebant. erant etiam alia vinalia mense Aprili IX. Kal. Maias *excidisse putat Mueller.*

cf. Varr. de l. l. VI 20. Plin. Nat. hist. XVIII 287. 289. Wissowa p. 101.

108. Varr. de l. l. VI 16: Vinalia a vino; hic dies Iovis, non Veneris. huius rei cura non levis in Latio; nam aliquot locis vindemiae primum ab sacerdotibus publicae fiebant, ut Romae etiam nunc; nam flamen Dialis auspicatur vindemiam et, ut iussit vinum legere, agna Iovi facit, inter cuius exta caesa et porrecta flamen primus vinum legit.

5 agnam *B, Laetus.* — 6 porrecta *vulg. ex B,* proiecta *libri* (*cf. fr. 91*). — primus *coni. Mueller,* porus *libri,* populus Romanus (*om.* flamen) *L. Spengel,* portis *Bergk,* per ortos *A. Spengel.*

Vindemiae cum Vinalibus rusticis, quae celebrabantur a. d. XIV. Kal. Sept., non erant coniunctae, sed Septembri et Octobri mense fiebant; cf. Wissowa p. 101.

109. Varr. de l. l. VI 21: Meditrinalia dies dictus a medendo, quod Flaccus flamen Martialis dicebat hoc die solitum vinum novum et vetus libari et degustari medicamenti causa; quod facere solent etiam nunc multi cum dicant: novum vetus vinum bibo. novo veteri vino morbo medeor.

2 quod ut ait Flaccus *Laetus.* — 3 novum *add. Laetus.*

cf. Paul. p. 123,15. Fest. p. 318a23: „[S]acrima est, [ut , ... et Clo]atius dicunt, [mustum indi]tum in amphoram [Meditrinalibus sacri]ficii causa, pro [vineis vasisque et vino], quae quasi sacra [ea re fiunt: quod Li]bero fit, ut prae[metium, quod] Cereri." — *Mueller suppl.:* [sacrificium quod pro uvis] primis fiat, [appellabatur ab antiquis s]acrima: est [autem ut Aelius Stilo et Clo]atius dicunt. — Verrius *suppl. Scal.,* Aelius Stilo *Urs.* — Meditrinalibus *suppl. Mueller,* Liberalibus *Urs.* — Paul. p. 319,1. Wissowa p. 247. Kretzer p. 65.

Meditrinalia celebrabantur in Iovis honorem a. d. V. Idus Octobr.; cf. Wissowa p. 101 sq.

110. Fest. p. 189a7: [Quod autem omnia (spolia) solita] non sint ad aedem Iovis Feretri poni, testimonio esse libros pontificum, in quibus sit: Pro primis spoliis bove, pro secundis solitaurilibus, pro tertiis agno publice fieri debere. esse etiam Pompili regis legem opimorum spoliorum talem: Cuius auspicio classe procincta opima spolia capiuntur, Iovi Feretrio bovem caedito, qui cepit, aeris CC[C darier oportet]. secunda spolia, in Martis aram in campo solitaurilia utra voluerit caedito, [qui cepit, ei aeris CC dato]. tertia spolia Ianui Quirino agnum marem caedito, C qui ceperit ex aere dato. cuius auspicio capta, dis piaculum dato.

1 quod autem omnia (sc. spolia) solita *suppl. Sigonius et Brissonius.* — 3 bovem *cod.,* bove *A. Aug.* — 5 compelli reges *cod.,* Pompilii regis *emend. A. Aug.* — 7 darier oporteat *ad* aeris CC *ponenda esse viderunt Scal. et Urs.* — aeris CCC *corr. Urs.,* aeris CC *cod.; cf. Plut. Marc. c. 8: „καὶ λαμβάνειν γέρας, ἀσσάρια τριακόσια τὸν πρῶτον, τὸν δὲ δεύτερον διακόσια, τὸν δὲ τρίτον ἑκατόν.“* — 9 caedito] *exciderunt:* qui cepit, ei aeris CC dato *ut monuit Urs.*

Quid intersit inter solitaurilia et suovetaurilia (cf. Fest. p. 293a10. Varr. rer. rust. II 1,10), exponere conatus est Krause, de Rom. host. quaest. sel. p. 16 sqq., sed ei non contigit, ut difficultates omnes expediret; cf. Wissowa p. 350 adn. 1. Krause interpretatur solitaurilia *Opfer aus lauter Verschnittenen.* Cum in utroque sacrificio eaedem hostiae mactarentur, iam ab antiquis confundebantur. Krause p. 25. Kretzer p. 66.

111. Serv. interpol. Georg. I 31: . . . . . nuptiae fiebant . . . . . farre, cum per pontificem maximum et Dialem flaminem per fruges et molam salsam coniungebantur — unde confarreatio appellabatur — ex quibus nuptiis patrimi et matrimi nascebantur. Gaius, Institut. I 112: Farreo in manu[m] conveniunt [per] quoddam genus sacrificii, quod Iovi Farreo fit: in quo farreus panis adhibetur, unde etiam confarreatio dic[i]tur; [sed con]plura praeterea huius iuris

ordinandi gratia cum certis et sollemnibus verbis praesentibus decem testibus aguntur et fiunt.

cf. Bouché-Leclercq, Les pontifes p. 202 sqq. Marquardt III² p. 304 sq. Wissowa p. 104.

112. Serv. interpol. Aen. IV 374: Sane etiam hic mentio caeremoniarum inducitur: mos enim apud veteres fuit flamini et flaminicae, dum per confarreationem in nuptiis convenirent, sellas duas iugatas ovilla pelle superiniecta poni eius ovis, quae hostia fuisset, ut ibi nubentes velatis capitibus in confarreatione flamen ac flaminica residerent.

re
3 dum *T*, ut *F Ambros.* — ferreationem *F*, conferrationem *T* (re *superscr. alia manu*), farreationem *Ambros.* — 4 ouilla *F*, ouina *T*, ouili *Ambros.* — superiecta *T.* — 5 poni *om. Ambros.* — ut *Thilo*, et *codd.* — ibi . . . . . flaminica *om. Ambros.* — 6 quonfarreatione *F*, conferratione *T.* — siderent *Ambros.*
re

113. Paul. p. 74,13: Diffarreatio genus erat sacrificii, quo inter virum et mulierem fiebat dissolutio. dicta diffarreatio, quia fiebat farreo libo adhibito.

---

114. Gell. Noct. Att. IV 3,3: Paelicem autem appellatam probrosamque habitam, quae iuncta consuetaque esset cum eo, in cuius manu mancipioque alia matrimonii causa foret, hac antiquissima lege ostenditur, quam Numae regis fuisse accepimus: Paelex aram Iunonis ne tangito; si tangit, Iunoni crinibus demissis agnum feminam caedito (Bremer I p. 135 fr. 9b).

5 aram *exhibet Paul. p. 222,5*, aedem *codd.*

cf. Paul. p. 222,5.

115. Paul. p. 64,11: Curiales mensae, in quibus immolabatur Iunoni, quae Curis appellata est.

cf. Dion. Hal. II 50,3: „Τάτιος δὲ Ἡλίῳ τε καὶ Σελήνῃ καὶ Κρόνῳ καὶ Ῥέᾳ, πρὸς δὲ τούτοις Ἑστίᾳ καὶ Ἡφαίστῳ καὶ Ἀρτέμιδι καὶ Ἐνυαλίῳ καὶ ἄλλοις θεοῖς, ὧν χαλεπὸν

ἐξειπεῖν Ἑλλάδι γλώττῃ τὰ ὀνόματα, ἐν ἁπάσαις τε ταῖς κουρίαις Ἥρᾳ τραπέζας ἔθετο Κυριτίδι λεγομένῃ, αἳ καὶ εἰς τόδε χρόνου κεῖνται." hae mensae plane differunt ab aris curiarum, quas Dionysius „*ἑστίας κοινὰς τῶν φρατριῶν*" appellat II 23,2. 65,4. 66,1.

116. Macrob. Sat. I 15,19: Romae quoque Kalendis omnibus, praeter quod pontifex minor in curia Calebra rem divinam Iunoni facit, etiam regina sacrorum, id est regis uxor, porcam vel agnam in regia Iunoni immolat.

cf. Macrob. Sat. I 15,18: „.... ut autem Idus omnes Iovi ita omnes Kalendas Iunoni tributas et Varronis et pontificalis adfirmat auctoritas." Serv. et Serv. interpol. Aen. VIII 84: „Et dicunt theologi ipsam (sc. Iunonem) esse matrem deum, quae terra dicitur; unde etiam *et* porca ei sacrificatur." — in aliis sacrificiis Iunoni bos femina immolabatur; cf. Liv. XXVII 37,11. Henzen, Act. fratr. Arval. p. 91. 95. 96. 101. 105.

117. Macrob. Sat. I 11,36 et 40: Nonis Iuliis diem festum esse ancillarum tam vulgo notum est, ut nec origo nec causa celebritatis ignota sit. Iunoni enim Caprotinae die illo liberae pariter ancillaeque sacrificant sub arbore caprifico in memoriam benignae virtutis, quae in ancillarum animis pro conservatione publicae dignitatis apparuit. .... sacrificiumque statuit (sc. senatus) annua sollemnitate celebrandum, cui lac quod ex caprifico manat propter memoriam facti praecedentis adhibetur. Varr. de l. l. VI 18: Nonae Caprotinae quod eo die in Latio Iunoni Caprotinae mulieres sacrificant et sub caprifico faciunt; e caprifico adhibent virgam.

11 sacrificantur *codd., corr. Laetus.*

cf. Wissowa p. 118.

118. Serv. interpol. Aen. IV 518: Et (ad) Iunonis Lucinae sacra non licet accedere nisi solutis nodis.

modis *F.*

119. Serv. Aen. I 292: Canam autem Fidem dixit, vel quod in canis hominibus invenitur, vel quod ei albo panno involuta manu sacrificatur. Liv. I 21,4: Et soli Fidei sollemne instituit (sc. Numa). ad id sacrarium flamines bigis, curru arcuato vehi iussit manuque ad digitos usque involuta rem divinam facere: significantes fidem tutandam sedemque eius etiam in dextris sacratam esse.

3 sacrificabatur *C*P*.

cf. Serv. Aen. VIII 636. Horat. carm. I 35,21 sq. Ambrosch, Quaest. pontif. cap. II. p. 8. Marquardt III² p. 189. Wissowa p. 123.

---

120. Serv. Aen. IX 446: Termino non nisi sub divo sacrificabatur.

sub clivo *F*.

cf. Paul. p. 368,5. Dion. Hal. III 69,5. Plut. quaest. Rom. 15: „*διὰ τί τὸν Τέρμινον, ᾧ τὰ Τερμινάλια ποιοῦσι, θεὸν νομίζοντες οὐδὲν ἔθυον αὐτῷ ζῷον;*“ Ovid. fast. II 679 sqq.

Celebrabantur Terminalia a. d. VII. Kal. Mart. publice sacrificium fiebat ad sextum lapidem viae Laurentinae; cf. Wissowa p. 125.

---

121. Macrob. Sat. III 10,4: Labeo vero sexagesimo et octavo libro (Bremer II 1 p. 80 fr. 20) intulit nisi Neptuno Apollini et Marti taurum non immolari.

122. Macrob. Sat. III 5,7: Ambarvalis hostia est, ut ait Pompeius Festus, quae rei divinae causa circum arva ducitur ab his, qui pro frugibus faciunt. Paul. p. 5,1: Ambarvales hostiae dicebantur, quae pro arvis a duobus fratribus sacrificabantur. Serv. Georg. I 345: Dicit autem ambarvale sacrificium, quod de porca et saepe fecunda et gravida fieri consueverat. Strab. V 3,2 (p. 230): *Μεταξὺ γοῦν τοῦ πέμπτου καὶ τοῦ ἕκτου λίθου τῶν τὰ μίλια διασημαινόντων τῆς Ῥώμης καλεῖται τόπος Φῆστοι. τοῦτον δ' ὅριον*

ἀποφαίνουσι τῆς τότε Ῥωμαίων γῆς, οἱ θ' ἱερομνήμονες θυσίαν ἐπιτελοῦσιν ἐνταῦθά τε καὶ ἐν ἄλλοις τόποις πλείοσιν ὡς ὁρίοις αὐθημερόν, ἣν καλοῦσιν Ἀμβαρουίαν.

4 ambarvales . . . . . . sacrificabantur *om. M.* — dicebantur] appellabantur *Thewrewk v. Ponor.* — 5 fratribus] *sc.* Arvalibus. — a duobus fratribus] a duodecim fratribus *coni. Ant. Aug.* — ambarvalis hostia est, quae rei divinae causa circum arva ducitur ab iis, qui pro frugibus faciunt *add. vg. ex Macrob. Sat. III 5,7.* — 6 arbambale *A*, arvambale *PVHa*, aurvale *B*, arvabale *R*. — quod saepe de porca fecunda et gravida fiebat, sive felicem dicit cuius sacrificio et immolatione fecunditas agrorum merebatur *R*.

In Ambarvalibus suovetaurilia, quae tauro ariete verre constabant, a fratribus Arvalibus antiquis temporibus circum totum arvum populi Romani circumagebantur. quae sacra certe antiquissima arvorum lustratio populi Romani intellegenda sunt. celebrabantur Ambarvalia in Martis honorem, quamquam erant feriae conceptivae, semper a. d. IV. Kal. Iun.; cf. Marquardt III² p. 200 sqq. Wissowa p. 130. 486. Kretzer p. 46.

123. Serv. Ecl. III 77: Dicitur autem hoc sacrificium ambarvale, quod arva ambiat victima . . . . . . sicut amburbale vel amburbium dicitur sacrificium, quod urbem circuit et ambit victima. Paul. p. 5,2: Amburbiales hostiae appellabantur, quae circum terminos urbis Romae ducebantur.

2 arvambale *libri, nisi quod* arvale *B.* — 4 ambarvales *M.* — 5 appellabantur] dicebantur *Thewrewk v. Ponor.*

Ut Ambarvalia lustratio arvorum ita Amburbium antiquissima lustratio urbis Romae intellegendum est. etiam in Martis honorem celebrabatur: a. d. IV. Non. Febr. ut putatur; cf. Wissowa p. 130. 369 adn. 3. de lustratione agri, in qua etiam in Martis honorem suovetaurilia circum agros circumagebantur, et precationibus, quibus in hac re utendum erat, cf. Cat. de agric. 141. Wissowa p. 130. Krause p. 26.

124. Serv. et Serv. interpol. Aen. VIII 183: ‚Lustralibus' aut pinguibus: moris enim fuerat completo lustro pingues victimas offerre censores . . . . . . *aut quia per quin-*

quennium ipsis victimis urbs lustrari solebat. alii proprie ‚lustralia' dicunt, quae duabus manibus accepta in aram pontifex vel censor imponit: quae non prosecantur.

4 lustrari *Daniel,* lustralim *F.* — 1 *ad* lustralibus *supr. vers.* quidam proprie dicunt lustralia quae manibus duabus vel censor vel pontifex ponit in aram *T.*

cf. Varr. de re rust. II 1,10: „. . . . populus Romanus cum lustratur suovitaurilibus, circumaguntur verres aries taurus." Dion. Hal. IV 22,1. Valer. Maxim. IV 1,10. Lact. Plac. ad Stat. Theb. I 507. haec populi Romani lustratio in campo Martio fiebat quinto quoque anno; cf. Marquardt III^2 p. 201. Wissowa p. 130. Mommsen, Roem. Staatsrecht III^2 p. 406.

125. Fest. p. 178b24: October equus appellatur, qui in campo Martio mense Oct. immolatur quotannis Marti, bigarum victricum dexterior. de cuius capite non levis contentio solebat esse inter Suburaneses et Sacravienses, ut hi in regiae pariete, illi ad turrim Mamiliam id figerent; eiusdemque coda tanta celeritate perfertur in regiam, ut ex ea sanguis destillet in focum, participandae rei divinae gratia. quem hostiae loco quidam Marti bellico deo sacrari dicunt . . . . . Paul. p. 220,21: Panibus redimibant caput equi immolati idibus Octobribus in campo Martio, quia id sacrificium fiebat ob frugum eventum, et equus potius quam bos immolabatur, quod hic bello, bos frugibus pariendis est aptus.

6 coda tanta *Urs.*, quod atanta *cod.*

cf. Plut. quaest. Rom. 97. Cass. Dio XLIII 24,4. Paul. p. 81,16: „Equus Marti immolabatur, quod per eius effigiem Troiani capti sint, vel quod eo genere animalis Mars delectari putaretur." Plin. Nat. hist. XXVIII 146: „Ideo flamini sacrorum ecum tangere non licet, cum Romae publicis sacris ecus etiam immoletur." Wissowa, De feriis anni Romanorum vetustissimi observationes selectae, Ges. Abhandl. p. 165 sq.

126. Serv. et Serv. interpol. Aen. XI 339: Nam futtile vas quoddam est lato ore, fundo angusto, quo utebantur in sacris Vestae, quia aqua ad sacra *Vestae* hausta in terra non ponitur, quod si fiat piaculum est: unde excogitatum vas est, quod stare non posset, sed positum statim effunderetur.

futile *SM*, futtil *A*, futilis *R*, futtulis *F*, futis *H*.

cf. Paul. p. 89,4. Donat. ad Ter. Andr. 609 (III 5,3) et Phorm. 746 (V 1,19). Corp. gloss. Lat. V 297,26. 105,17. 295,63. 534,5. IV 240,31. 79,43. 520,57. 239,37. 72,35. 345,51. V 297,6 Kretzer p. 72. — de Vesta cf. Laur. Lyd. de mens. IV 94 (p. 139,5 W.): „*Οἱ δὲ Ῥωμαίων ἱεροφάνται οὐδὲν ἕτερον βούλονται εἶναι αὐτὴν* (sc. *Ἑστίαν*) *ἢ μόνην τὴν γῆν.*“

127. Paul. p. 93,11: Fornacalia feriae institutae sunt farris torrendi gratia, quod ad fornacem, quae in pistrinis erat, sacrificium fieri solebat.

cf. Varr. de l. l. VI 13. Paul. p. 83,8: „Fornacalia sacra erant, cum far in fornaculis torrebant.“

Hae feriae, postquam a curione maximo edictae sunt, in Vestae honorem pro curiis sacra popularia celebrabantur mense Februario; cf. Antist. Labeon. apud Fest. p. 253a13.

128. Fest. p. 317b12: Stulto[rum feriae appellaban]tur Quirina[lia, qui erat dies festus] Quirini, qu[od eo die omnes sa]crificant ii, q[ui Fornacalibus aut] non potuer[unt rem divinam face]re aut ign[oraverunt sollemnem] fornacaliu[m suorum diem] commissumque [piaculum expiabant ex] more. at[que stulti videbantur ii], quibus p[ermittebatur post ferias feriari]. Fest. p. 254b3: Quirinalia mense Februario dies, quo Quirini fiunt sacra. idem stultorum feriae appellantur, quod, qui diem suorum fornacalium sacrorum ignorant, eo potissimum rem divinam faciunt. Varr. de l. l. VI 13: Quirinalia a Quirino, quod ei deo feriae et eorum hominum, qui fornacalibus suis non fuerunt feriati.

2 quiprini *cod. vg.*, qui primi *Urs.* — 5 commissumque] que *om. vg.* — 9 *post* appellantur *cod. add.*: antequam in eum

commigrarent fere Sabini Curibus venientes post foedus inter Romulum et Tatium. — qui diem *Mueller*, quidem *cod.*, quidam *A. Aug. Urs.*, quidam qui *Scal.* — 10 ignorant *Mueller*, cognominant *cod.*, ignari *A. Aug.*, ignoraverant *Scal.*, cum ignorant *Urs.* — 12 ei deo *vulg. ex B*, ideo *libri*, huic deo *Laetus*. — et *del. A. Spengel.* — fornacalibus *Laetus*, furnacalibus *codd.*

cf. Paul. p. 316,7. Plut. quaest. Rom. 89.

De Quirinalibus, quae eodem die quo stultorum feriae, quo modo ultimus dies Fornacalium nominabatur, celebrabantur (a. d. XIII. Kal. Mart.), nihil traditum est, cum omnes scriptores de stultorum modo feriis verba fecerint; cf. Marquardt III^2 p. 197.

---

129. Serv. Aen. VIII 190: . . . . . unde etiam sacellum meruit (sc. Caca), in quo ei per virgines Vestae sacrificabatur.

in quo ei pervigili igne sicut vestae sacrificabatur *F*, Vestae *om. R*, sicut Vestae *Masvicius*.

cf. Marquardt III^2 p. 345. Wissowa p. 144 sq. 229 sq. Pauly-Wissowa, Real-Encycl. III p. 1164.

---

130. Fest. p. 238a28: Plena sue Tellu[ri sacrificabatur, quod pecudis] id genus censeretur [satis inimicum, quia rostro sem]en fodiendo corrum[peret].

censeretur *Urs.*, cum serem *vel* seret n *cod.*

cf. Serv. Georg. II 380. Ovid. fast. I 672. IV 633. Serv. interpol. Aen. IV 166: „Cui (sc. Telluri) etiam virgines, vel cum ire ad domum mariti coeperint, vel iam ibi positae, diversis nominibus vel ritu sacrificant."

131. Varr. de l. l. VI 15: Fordicidia a fordis bubus . . . . . quod eo die publice immolantur boves praegnantes in curiis compluris, a fordis caedendis Fordicidia dicta. Varr. de re rust. II 5,6: Quae sterilis est vacca, taura appellata; quae praegnas, horda. ab eo in fastis dies Hordicidia nominatur, quod tum hordae boves immolantur. Lyd. de

mens. IV 72 (p. 124, 6 W.): *Τῇ πρὸ δεκαεπτὰ Καλενδῶν Μαΐων οἱ ἀρχιερεῖς ἐπὶ τὸ θέατρον γενόμενοι ἄνθη ἐπὶ τὸν δῆμον ἐρρίπτουν καὶ περὶ τὰ σπόριμα δὲ ὑπὲρ εὐετηρίας ἱεράτευον, καὶ ἔξωθεν τῆς πόλεως ἐπὶ ὡρισμένους σταθμοὺς ηὔχοντο ἱερατεύοντες Δήμητρι· ὄνομα δὲ τῇ θυσίᾳ Φορδικάλια.*

5 hordicalia nominantur *cod.*, hordicidia *Mueller in Paul. p. 102,15*, nominatur *Ursinus*. — 8 *γινόμενοι cod. Barberinus II 15.* — 11 *φορκιδάλια cod. Barb. II 15, corr. Barb.*[2] *marg.*

cf. Paul. p. 83,13. 102,15. Ovid. fast. IV 629 sqq. Wissowa, Ges. Abhandl. p. 163 sq. de vocabulo *fordus* cf. Kretzer p. 56.

---

132. Gell. Noct. Att. IV 6,8: Porca etiam praecidanea appellata, quam piaculi gratia ante fruges novas captas immolare Cereri mos fuit, si qui familiam funestam aut non purgaverant aut aliter eam rem, quam oportuerat, procuraverant. Fest. p. 218a17: [Praecidanea porca prod]ucta syllaba [secunda pronuntianda est. ea enim, quod], ut ait L. Cin[cius (Bremer I p. 258 fr. 12), antequam novam frugem praecidan]t, familiae pur[gandae causa immolatur], praecidanea dicitur. [alii praecidariam dixerunt], quod genus hostiae, quod [ante novam frugem caeditur, prae]cidariam appellabant.

2 carptas *Joa. Fr. Gronovius.* — 3 immolari *R.* — qui] quid *ω.* — funesta *R.* — 4 purgati erant *V.* — oporteat *R*[1]. — 11 appellabat *cod.*

cf. Paul. p. 223,19. 219,3. Macrob. Sat. III 11,10. I 12,20. Non. p. 163,17 M.: „Praecidaneum est praecidendum. Varro de vita populi Romani lib. III: quod humatus non sit, heredi porca praecidanea suscipienda Telluri et Cereri. aliter familia pura non est.“ Cat. de agric. 134. Varr. de re rust. II 4,9.

Sacrificium porcae praecidaneae, quod primo fiebat, si quis mortuo iusta non fecerat aut eam rem quam oportuerat non procuraverat, postea in numerum popularium sacrorum receptum est; cf. Fest. p. 253a13. Wissowa p. 160. Krause p. 28.

133. Fest. p. 238b11: Porcam auream et argenteam dici ait Capito Ateius (Bremer II 1 p. 279 fr. 4), quae, et si numero hostiarum non sint, nomen tamen earum habere; alteram ex auro alteram ex argento factam adhiberi sacrificio Ceriali.

Haec sicut alibi boves ex farina facti pro vera porca in sacrificio apponebatur. cf. Wissowa p. 160 adn. 7.

134. Fest. p. 250b25: Praesentanea porca dicitur, ut ait Veranius (Bremer II 1 p. 8 fr. 12), quae familiae purgandae causa Cereri immolatur, quod pars quaedam eius sacrificii fit in conspectu mortui eius, cuius funus instituitur.

1 presan *cod.*, praesentanea *corr. et suppl. Turnebus,* praecidanea *A. Aug.* — 2 pugnandae *cod., corr. Urs.*

cf. Cic. de leg. II 22,57. Wissowa p. 161. Krause p. 28. Kretzer p. 76.

135. Paul. p. 319,1: Praemetium de spicis, quas primum messuissent, sacrificabant Cereri.

cf. Colum. XII 18,4.

136. Serv. interpol. Georg. I 21: Fabius Pictor (Bremer I p. 12 fr. 9) hos deos enumerat, quos invocat flamen sacrum Cereale faciens Telluri et Cereri: Vervactorem, Reparatorem, Inporcitorem, Insitorem, Obaratorem, Occatorem, Sarritorem, Subruncinatorem, Messorem, Convectorem, Conditorem, Promitorem.

cf. Peter, Hist. Rom. rel. p. 112,12.

137. Serv. Georg. I 344: Nam superfluum est, quod quidam dicunt, contra religionem dixisse Vergilium licere Cereri de vino sacrificari: pontificales namque hoc non vetant libri.

Verba Macrob. Sat. III 11,2 et 9 sq.: „Vinum autem Cereri non libari debuit . . . . sciens Cereri mulso libari . . . . . . notum autem esse non diffitebere quod a. d. duodecimum Kalendas Ianuarias Herculi et Cereri faciunt sue praegnate panibus mulso“ ad Graecum ritum pertinent; cf. Wissowa p. 246. 229.

138. Serv. interpol. Aen. IV 58: Et Romae cum Cereri sacra fiunt, observatur, ne quis patrem aut filiam nominet, quod fructus matrimonii per liberos constet.

cum sacra Cereris sunt *Ambros.* — nomine *F, corr. Daniel,* nominat *Ambros.*

---

139. Varr. de l. l. VI 16: Robigalia dicta ab Robigo; secundum segetes huic deo sacrificatur, ne robigo occupet segetes. Paul. p. 267,1: Robigalia dies festus VII. Kal. Maias, quo Robigo deo suo, quem putabant robiginem avertere, sacrificabant. Ovid. fast. IV 907 sq.: Flamen (sc. Quirinalis) in antiquae lucum Robiginis ibat, | Exta canis flammis, exta daturus ovis. Colum. X 342 sq.: Hinc mala Robigo virides non torreat herbas | Sanguine lactentis catuli placatur et extis.

1 robicalia *codd., corr. Laetus.* — 2 *lacunam post* segetes *indicat Mueller.*

cf. Varr. de re rust. I 1,6. Plin. Nat. hist. XVIII 285. Serv. interpol. Georg. I 151.

---

140. Plin. Nat. hist. XVIII 14: Ita enim est in commentariis pontificum: augurio canario agendo dies constituantur priusquam frumenta vaginis exeant nec antequam in vaginas perveniant. Serv. interpol. Georg. IV 424: Ideoque Romae omnibus annis sacrum canarium fit per publicos sacerdotes. Fest. p. 285a31: Rutilae canes, id est non procul a rubro colore, immolantur, ut ait Ateius Capito (Bremer II 1 p. 279 fr. 3), canario sacrificio pro frugibus deprecandae saevitiae causa sideris caniculae. Paul. p. 45,7: Catularia porta Romae dicta est, quia non longe ab ea ad placandum caniculae sidus frugibus inimicum rufae canes immolabantur, ut fruges flavescentes ad maturitatem perducerentur.

3 nec *L. Urlichs, Chrestomathia Pliniana (Berol. 1857) p. 224,* et *C.*

cf. Ovid. fast. IV 939 sqq. Marquardt III² p. 170 adn. 4. Wissowa p. 163. 451 adn. 6.

---

141. Solin. I 19: Et observatum deinceps, ne qua hostia Parilibus caederetur, ut dies iste a sanguine purus esset. Plut. Rom. c. 12: *Ὅτι μὲν οὖν ἡ κτίσις ἡμέρᾳ γένοιτο τῇ πρὸ ἕνδεκα καλανδῶν Μαΐων ὁμολογεῖται· καὶ τὴν ἡμέραν ταύτην ἑορτάζουσι Ῥωμαῖοι, γενέθλιον τῆς πατρίδος ὀνομάζοντες. ἐν ἀρχῇ δ᾽, ὥς φασιν, οὐδὲν ἔμψυχον ἔθυον, ἀλλὰ καθαρὰν καὶ ἀναίμακτον ᾤοντο δεῖν τῇ πατρίδι τὴν ἐπώνυμον τῆς γενέσεως ἑορτὴν φυλάττειν. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ πρὸ τῆς κτίσεως βοτηρική τις ἦν αὐτοῖς ἑορτὴ κατὰ ταύτην τὴν ἡμέραν καὶ Παρίλια προσηγόρευον αὐτήν.*

cf. Probi qui dicitur comm. in Verg. Georg. III 1: „Pales dea est pastorum, cuius diem sacrum appellant Parilia transposita littera L, quae, si suo loco esset, Paliria potius dicerentur. qui dies natalis est urbis Romae, quae a pastoribus est condita. huius autem, cuius deae esset, etiam ritus declarat natura. nam et ignem transiliunt accensis stramentis more agresti ibi hunc diem colentes (et) lactem libant, qui fructus ex pecore tollitur.“ Schol. Veron. in Verg. Georg. III 1. Paul. p. 222,12.

Parilia sacra publica et privata celebrata esse Varro in Schol. Pers. I 72 dicit; in numero sacrorum popularium ea habet Antistius Labeo apud Fest. p. 253a13. celebrabantur a. d. XI. Kalendas Maias; cf. Marquardt III² p. 207 sq. Wissowa p. 165 sq.

---

142. Tertull. de spectac. 5: Exinde ludi Consualia dicti, qui initio Neptunum honorabant. eundem enim et Consum vocant. . . . . . et nunc ara Conso illi in circo demersa est ad primas metas sub terra cum inscriptione eiusmodi: CONSUS CONSILIO MARS DVELLO LARES†COILLO POTENTES. sacrificant apud eam nonis

Iuliis sacerdotes publici, XII. Kalend. Septembres flamen Quirinalis et virgines.

6 COILLO *cod. Agobardinus*, CVM ILLO *editio Ioa. Gangnei*, COMITIO *Gelenius*, COMPITO *Heinsius*. — 7 XV. *Iunius*

cf. Varr. de l. l. VI 20. celebrabantur Consualia a. d. XII. Kal. Sept. et a. d. XVIII. Kal. Ian.; cf. Wissowa, Rel. u. Kult. p. 167.

---

143. Varr. de l. l. VI 21: Opeconsivia dies ab dea Ope Consiva, cuius in regia sacrarium, quod ideo actum, ut eo praeter virgines Vestales et sacerdotem publicum introeat nemo. ‚Is cum eat, suffibulum haut habeat' scriptum.

1 Opeconsiva *F*, Opeconsivia *Peter p. 77 (fr. 74 adn.)*. — 2 ideo] ita *Mueller. plura intercedisse censet Bergk.* — actum *libri*, artum *Jordan, Top. II p. 272 et 274*, ita dedicatum *Reifferscheid*, factum *L. Spengel*, angustum *A. Stengel.* — 4 eat] introeat *Bergk.* — haut *B*, *Laetus*, aut *libri*, ut *L. Spengel.* — scriptum] tritum *B*, *Augustin. marg.*

Consiva erat cognomen Opis deae; cf. Fest. p. 186b26. Wissowa p. 168.

144 Fest. p. 249b14 = Paul. p. 248,11: [Praefericulum vas] aeneum s[ine ansis appellatur, patens, summum ve]lut pelvi[s, quo ad sacrificia utebantur in sacra]rio Opis Co[nsivae].

cf. Kretzer p. 64.

145. Macrob. Sat. I 10,19: Itaque omni iam fetu agrorum coacto ab hominibus hos deos (sc. Saturnum et Opem) coli quasi vitae cultioris auctores.

De Saturno et Ope cf. Wissowa, Rel. u. Kult. p. 168 sq. Ges. Abhandl. p. 156 sqq. Saturni sacra praemature cum sacris eius Graeci ritus confusa itaque obscurata sunt. ea de causa etiam ei capite aperto sacrificabatur; cf. Macrob. Sat. I 10,22. 8,2. Serv. Aen. III 407. Fest. p. 343b6. 322b33. Plut. quaest.

Rom. 11. Dion. Hal. I 34,4. VI 1,4. Paul. p. 119,14: „Lucem facere dicuntur Saturno sacrificantes, id est capita detegere."

---

146. Varr. de l. l. V 85: Luperci quod Lupercalibus in lupercali sacra faciunt. Serv. Aen. VIII 343: ‚Gelida monstrat sub rupe lupercal' sub monte Palatino est quaedam spelunca, in qua de capro luebatur, id est sacrificabatur: unde et lupercal non nulli dictum putant. Plut. quaest. Rom. 111: Αὐτοὶ δὲ Ῥωμαῖοι τοῖς Λυκαίοις, ἃ Λουπερκάλια καλοῦσιν, ἐν τῷ καθαρσίῳ μηνὶ κύνα θύουσιν. Plut. Rom. c. 21: Ἴδιον δὲ τῆς ἑορτῆς τὸ καὶ κύνα θύειν τοὺς Λουπέρκους. Ovid. fast. II 282: Flamen ad haec (sc. Fauni sacra) prisco more Dialis erat.

cf. Valer. Maxim. II 2,9. Ovid. fast. II 445. II 361: „Cornipedi Fauno caesa de more capella". Plut. quaest. Rom. 68. Paul. p. 85,13. flamen Dialis Lupercalibus tantum praeerat. sacrificium canis vel capri offerebant luperci, cum flamini Diali caprum vel canem ne tangere quidem liceret; cf. Gell. Noct. Att. X 15,12. Plut. quaest. Rom. 111. celebrabantur Lupercalia in Fauni honorem a. d. XV. Kal. Martias; cf. Marquardt III^2 p. 443. Wissowa p. 172 sq. 484 adn. 7.

---

147. Serv. interpol. Georg. IV 379: Ceterum nymphis libari vino pontifices negant. Serv. interpol. Ecl. VII 21: Nam eis (sc. camenis) non vino, sed aqua et lacte sacrificari solet.

Iam antiquis temporibus Camenae cum Musis eodem loco habebantur; cf. Liv. Andron. Odis. fr. 1. Varr. de l. l. VII 26 sq. Paul. p. 43,16. 67,9. verba quoque Servii re vera ad Camenas pertinent, quae fontium deae vel nymphae intellegendae sunt; cf. Serv. et Serv. interpol. Ecl. VII 21: „Ut autem poetae invocent nymphas, sicut hoc loco, item in fine ‚extremum hunc Arethusa mihi concede laborem', haec ratio est, quod secundum Varronem ipsae sunt nymphae quae et musae: *nam et in aqua consistere*

dicuntur, quae de fontibus manat, sicut existimaverunt, qui camenis fontem consecrarunt; nam eis non vino, sed aqua et lacte sacrificari solet. . . . . . sane sciendum, quod idem Varro tres tantum musas esse commemorat". Serv. interpol. Aen. I 8: „His Numa aediculam aeneam brevem fecerat, quam postea de caelo tactam et in aede Honoris et virtutis conlocatam Fulvius Nobilior in aedem Herculis transtulit, unde aedes Herculis et Musarum appellatur". Plin. Nat. hist. XXXIV 19. Wissowa p. 180.

148. Serv. interpol. Aen. I 8: Has (sc. Musas) alii virgines perhibent; nam ideo et porcam eis sacrificari aiunt, quod multum pariat.

Fortasse ex his verbis colligi potest Musas i. e. Camenas eodem modo quo Carmenta dea partus deas esse invocatas. Wissowa p. 180. cf. Paul. p. 77,10: „Egeriae nymphae sacrificabant praegnantes, quod eam putabant facile conceptam alvum egerere". Wissowa in Roscher. Lexic. I p. 1217. Rel. u. Kult. p. 200.

---

149. Macrob. Sat. I 12,18: Cincius (Bremer I p. 252 fr. 3) mensem nominatum putat a Maia, quam Vulcani dicit uxorem, argumentoque utitur, quod flamen Vulcanalis Kalendis Maiis huic deae (sc. Maiae) rem divinam facit.

Cingius *codd.*

Maia Volcani uxor et Maia mater Mercurii, quae cum illa in eodem templo colebatur, semper fere eadem dea putabantur.

150. Macrob. Sat. I 12,20 sq.: Adfirmant quidam, quibus Cornelius Labeo consentit, hanc Maiam, cui mense Maio res divina celebratur, terram esse hoc adeptam nomen a magnitudine, sicut et Mater Magna in sacris vocatur adsertionemque aestimationis suae etiam hinc colligunt, quod sus praegnans ei mactatur, quae hostia propria est terrae. . . . . . hanc eandem Bonam deam Faunamque et Opem et Fatuam pontificum libris indigitari.

2 hanc Maiam *om. P.* — 4 in sacris *om. P.* — 7 deam *om. B.* — 8 et *ante* opem *om. B.* — indicari *P.*

cf. Wissowa p. 177.

---

151. Varr. de l. l. VI 13: Feralia ab inferis et ferendo, quod ferunt tum epulas ad sepulcrum quibus ius ibi parentare.

ferialia *libri, corr. Aldus.* — ibi *vulg. ex B,* sibi *libri.*

cf. Macrob. Sat. I 4,14. 13,3. Varr. de l. l. VI 34: „Ab diis inferis Februarius appellatus, quod tum his parentetur".

Feralia omnium dierum parentalium sola erant feriae publicae. celebrabantur a. d. IX. Kal. Mart.; cf. Marquardt III^2 p. 310. Wissowa p. 187.

---

152. Macrob. Sat. I 10,11 et 15: Decimo Kalendas (sc. Ian.) feriae sunt Iovis, quae appellantur Larentinalia . . . . . . et ideo ab Anco in Velabro loco celeberrimo urbis sepulta est (sc. Acca Larentia) ac sollemne sacrificium eidem constitutum, quo dis Manibus eius per flaminem sacrificaretur, Iovique feriae consecratae. Gell. Noct. Att. VII 7,7: Ob id meritum (sc. quod Acca Larentia populum Romanum bonis suis heredem fecit) a flamine Quirinali sacrificium ei publice fit et dies e nomine eius in fastos additus. Varr. de l. l. VI 23 sq.: Larentinae, quem diem quidam in scribendo Larentalia appellant, ab Acca Larentia nominatus, cui sacerdotes nostri publice parentant sexto die, qui atra dicitur. . . . . . hoc sacrificium fit in Velabro, qua in novam viam exitur, ut aiunt quidam, ad sepulcrum Accae, ut quod ibi prope faciunt diis Manibus servilibus sacerdotes. Plut. Rom. c. 4: . . . . . . *Ἄκκαν Λαρεντίαν ὄνομα. ταύτῃ δὲ καὶ θύουσιν οἱ Ῥωμαῖοι καὶ χοὰς ἐπιφέρει τοῦ Ἀπριλλίου μηνὸς ὁ τοῦ Ἄρεως ἱερεύς, καὶ Λαρεντίαν καλοῦσι τὴν ἑορτήν.*

12 parentant ante *codd., corr. vulg.* — 13 sexto] festo *Scal.*

— atra *Ff, vel* acta *vel* ara *vel* aera *cett. codd.*, atria *Laetus*, *lacunam exhib. B,* Acca *Augustinus,* Accas *A. Spengel.* — 14 qua *Laetus,* quia *codd.* — 16 servilibus] arvales *Scaliger*. *fortasse* diis Manibus eius, *quod praebet Macrob. Sat. I 10,15*.

cf. Plut. quaest. Rom. 34. Cic. ad Brut. I 15,8. Marquardt III² p. 255. ferias Iovis, quae eodem die quo Larentinalia celebrabantur (a. d. X. Kal. Ian.), ab his separari necesse est; cf. Wissowa p. 188 adn. 1.

---

153. Macrob. Sat. I 12,33: Cui (sc. Carnae deae Kalendis Iuniis) pulte fabacia et larido sacrificatur, quod his maxime rebus vires corporis roborentur. nam et Kalendae Iuniae fabariae vulgo vocantur, quia hoc mense adultae fabae divinis rebus adhibentur. Non. p. 341,33 M.: Varro de vita populi Romani lib. I: quod calendis Iuniis et publice et privatim fabatam pultem dis mactant. Ovid. fast. VI 106: Pontifices illuc nunc quoque sacra ferunt.

cf. Fest. p. 277a17: „Refriva faba (frabra *cod.*, fabra *Urs.*, faba *vg. et sic corr. Urs.)* dicitur, ut (via *cod.*, ut *vg.*) ait Cincius (Bremer I p. 259 fr. 14) quoque, quae ad sacrificium referri solet domum ex segete auspici causa, quasi revocans (revocant *cod.*, revocet *Scal.*, revocent *vg. et sic corr. Urs.*, revocans *Mueller*) fruges, ut domum ditent: ea est virtute (datantes tevirtico *cod.*) ad rem divinam faciendam. Aelius dubitat, an ea sit, quae prolata in segetem domum referatur, an quae refrigatur, quod est torreatur. sed opinionem Cinci adiuvat; quod in sacrificiis publicis, cum puls fabata dis datur, nominatur refriva." Plin. Nat. hist. XVIII 119. Kretzer p. 65. — Carnaria appellabantur Kalendae fabariae; cf. Wissowa, Rel. u. Kult. p. 190. Ges. Abhandl. p. 170.

---

154. Gell. Noct. Att. V 12,12: Quapropter eum deum (sc. Vediovem) plerumque Apollinem esse dixerunt; immolaturque ritu humano capra, eiusque animalis figmentum iuxta simulacrum stat.

romano *pro* humano *Thysius*.

Vediovem deum inferorum fuisse satis demonstratum est. ea de causa sacrificium caprae, quod fiebat ritu humano, facile inferiae cognoscitur; cf. Paul. p. 103,4: „Humanum sacrificium dicebant, quod mortui causa fiebat.“ Marquardt III² p. 68. Wissowa p. 190 sq. Krause p. 21. Kretzer p. 73.

---

155. Varr. de l. l. VI 23: Angeronalia ab Angerona, cui sacrificium fit in curia Acculeia et cuius feriae publicae is dies. Macrob. Sat. I 10,7: Duodecimo (sc. Kal. Ian.) vero feriae sunt divae Angeroniae, cui pontifices in sacello Volupiae sacrum faciunt.

4 angorie *P.* — 5 volupuae *B.*

cf. CIL I² p. 337. in fastis Angeronalia nominata sunt Divalia. celebrabantur in honorem Divae Angeronae a. d. XII. Kal. Ian.; cf. Wissowa p. 193.

156. Varr. de re rust. II 11,5: Non negarim, inquam, ideo aput divae Ruminae sacellum a pastoribus satam ficum. ibi enim solent sacrificari lacte pro vino et [pro] lactentibus.

rumniae saccellum *cod.*, Ruminae *Schneiderus*.

cf. Non. p. 167,24 M. Plut. Rom. c. 4. quaest. Rom. 57: *„διὰ τί τῇ Ῥουμίνᾳ θύουσαι γάλα καταστένδουσι τῶν ἱερῶν, οἶνον δ᾽ οὐ προσφέρουσιν;“*

---

157. Fest. p. 154b3: Mutini Titini sacellum fuit in Velis adversum mutum † Mustellinum in angi[portu], de quo aris sublatis balnearia sunt [f]acta domus Cn. D[omiti] Calvini, cum mansisset ab urbe condita [ad pri]ncipatum Augusti [Caesaris inviolatum religiose]que et sancte cultum [fuisset, ut ex pontificum libris] manifestum est, [in quibus significatur fuisse ad sacrarium s]extum et vicensimum, dextra v[ia iuxta diver]ticulum . . . . . . ubi et colitur [et mulieres sacrificant] in e[o togis praetextis] velatae.

1 Velis *cod.*, Veliis *corr. Urs.* — 2 mutum *cod.*, murum *Scal.*, vicum *suspic. Mueller.* — 9 eo] ea *Urs.* — 10 ula[tae] *cod.*, velatae *corr. Scal. Urs.*

cf. Paul. p. 155,4: „Mutini Titini sacellum fuit Romae, cui mulieres velatae togis praetextis (praetextatis *codd.*) solebant sacrificare.“ Arnob. adv. nat. IV 7. 11. Tertull. ad nat. II 11. Wissowa, Rel. u. Kult. 195.

---

158. Plin. Nat. hist. XXIX 58: Catulos lactentes adeo puros existimabant ad cibum, ut etiam placandis numinibus hostiarum vice uterentur iis. Genitae Manae catulo res divina fit et in cenis deum etiamnunc ponitur catulina.

cf. Plut. quaest. Rom. 52: „*διὰ τί τῇ καλουμένῃ Γενείτῃ Μάνῃ κύνα θύουσι καὶ κατεύχονται μηδένα χρηστὸν ἀποβῆναι τῶν οἰκογενῶν;*“ Wissowa in Roscher. Lexic. I p. 1612.

---

159. Paul. p. 4,9: Albiona ager trans Tiberim dicitur a luco Albionarum, quo loco bos alba sacrificabatur.

De Albionarum cultu nihil traditum est; cf. Wissowa p. 197.

---

160. Schol. Veron. in Verg. Aen. I 259: [‚Ad sidera caeli‘]. Aeneas uxore et regno potitus Latino mortuo Etruscos certamine premens in conflictu bellico | [repente nusquam ap]paruit et Numici fluminis gurgite haustus putatur, cui Ascanius hostibus devictis in loco, quo | [postremo pa]ter apparuerat, Aeneae Indigeti templum dicavit, ad quod pontifices quotannis cum consulibus | [ire solent sacri]ficaturi. |

cf. Marquardt III² p. 255.

---

161. Macrob. Sat. III 2,11 sq.: Nam primo pontificii iuris libro apud Pictorem (Bremer I p. 11 fr. 5) verbum hoc positum est vitulari, de cuius verbi significatu Titius ita retulit vitulari est voce laetari. Varro etiam in libro quinto

decimo rerum divinarum ita refert, quod pontifex in sacris quibusdam vitulari soleat, quod Graeci *παιανίζειν* vocant. has tot interpretationis ambages quam paucis verbis docta elegantia Maronis expressit

laetumque choro paeana canentes!

nam si vitulari est voce laetari, quod est *παιανίζειν*, nonne in cantu laeti *παιᾶνος* enarratio verbi perfecta servata est? et ut huic vocabulo diutius immoremur, Hyllus libro, quem de dis composuit, ait Vitulam vocari deam, quae laetitiae praeest. Piso ait vitulam victoriam nominari. cuius rei hoc argumentum profert, quod postridie Nonas Iulias re bene gesta, cum pridie populus a Tuscis in fugam versus sit — unde Populifugia vocantur — post victoriam certis sacrificiis fiat vitulatio.

3 Titius] Cincius *Mommsen CIL I 26.* — 12 Hyllus] Hyginus *Mommsen*, hylus *P.* — 14 Piso] poso *Pb (om. B).*

Poplifugia erant feriae Iovis, de quibus nihil fere traditum est. paucis diebus post erant sacra publica Vitulationis. celebrabantur Poplifugia a. d. III. Non. Quint., Vitulatio a. d. VIII. Idus Quint. Vitulationem genus lustrationis intellegendam esse putat Marquardt III[2] p. 325. cf. Wissowa p. 102. 371 adn. 5. 377 adn. 10. 445 adn. 1. de vocabulo *vitulari* cf. Kretzer p. 80.

---

162. Fest. p. 278a6: [Regifugium dies notatur in fastis a. d.] VI. Kal. [Mart., non IX. Kal. Apr., qui creditur sic dict]us, quia [eo die Tarquinius rex fugerit e Comitio:] quod fal[sum esse arguit . . . . pontifices e]t Salios [adesse scribunt regi sacrorum, cum facit sacri]ficium in [Comitio, quo facto statim fugit]. Plut. quaest. Rom. 63: *Ἔστι γοῦν τις ἐν ἀγορᾷ θυσία πρὸς τῷ λεγομένῳ Κομητίῳ πάτριος, ἣν θύσας ὁ βασιλεὺς κατὰ τάχος ἄπεισι φεύγων ἐξ ἀγορᾶς.*

4 e]t *cod.*, ut *vg.*, *om. Urs. cf. Mueller in supplem. annot. alia suppleverunt Mommsen, CIL I² p. 289; Huschke, Das*

alte roemische Jahr p. 166; Christ, Sitzungsberichte der Muenchn. Acad. Ph. hist. Cl., 1876, p. 200.

Ovid. fast. II 685 sqq. V 727 sq. Paul. p. 279,3. Fast. Praen. — Regifugium celebrabatur a. d. VI. Kal. Mart.; cf. Wissowa p. 370 adn. 1. Marquardt III² p. 323 sq.

---

163. Fest. p. 340a7: [Septimontium dies ap]pellatur mense [Decembri III idus, qui dicitur in f]astis Agonalia, [quod ea die septem m]ontibus fiunt sa[crificia: Palatio, Velia, F]agutali, Subura, [Cermalo, Caelio, Oppio,] Cispio. Fest. p. 348b24: Septimontio, ut ait Antistius Labeo (Bremer II 1 p. 79 fr. 7), hisce montibus feriae: Palatio, cui sacrificium quod fit Palatuar dicitur. Veliae, cui item sacrificium; Fagutali, Suburae, Cermalo, Oppio, Caelio monti, Cispio monti.

1 sqq. *ita suppl. Wissowa, Ges. Abhandl. p. 234.* — 7 Palatuar] *cf. Mueller in adn.* — villae *cod., corr. vg. et Urs.* — 8 Faguali *cod., corr. A. Aug. Urs.*

cf. Varr. de l. l. VI 24: „Dies Septimontium nominatus ab his septem montibus, in quis sita urbs est; feriae non populi sed montanorum modo". Paul. p. 341,2. Plut. quaest. Rom. 69. Lyd. de mens. IV 155 (p. 172,23 W.): „*Ἐν ταύτῃ καὶ ἡ λεγομένη παρ' ⟨αὐτῶν Σεπτι⟩μούνδιος ἑορτὴ ἐπετελεῖτο, τουτέστιν ἡ περίοδος τῆς πόλ⟨εως, ὅτι ἐπὶ ἑπτὰ λ⟩όφοις τὰ τείχη τῆς Ῥώμης ἐκτέταται. ὀνόμα⟨τα δὲ⟩ τού⟨των· Πα⟩λάτιον Ἐσκύλιον Ταρπήϊον Ἀβεντῖνον Τιβο⟨ύρτιον Πρα⟩ιν⟨έσ⟩τιον Βιμινάλιον. ⟨παρὰ⟩ δὲ τοῖς ἀρχαίοις ἑτέρως οὕτως· Ἀβεν⟨τ⟩ῖνος Καίλιος ⟨Ἐσκ⟩ύλιος Καπιτωλῖνος Βελινήνσιος Κυ⟨ρινά⟩λιος Παλα⟨τῖνος⟩.*"

Septimontium quamquam non a toto populo, sed a montanis solis, qui septem Romae montes incolebant, a. d. III. Idus Decembr. celebrabatur, tamen in numero feriarum publicarum ducendum est. simul eodem die in Palatio Palatuae divae sacrificium fiebat, quod Palatuar appellabatur; cf. Marquardt III² p. 190. Wissowa, Rel. u. Kult. p. 165 sq. Ges. Abhandl. p. 230 sqq.

---

164. Gell. Noct. Att. II 28,2 sq.: Propterea veteres Romani . . . . . . ubi terram movisse senserant nuntiatumve erat, ferias eius rei causa edicto imperabant, sed dei nomen, ita uti solet, cui servari ferias oporteret, statuere et edicere quiescebant, ne alium pro alio nominando falsa religione populum alligarent. eas ferias si quis polluisset piaculoque ob hanc rem opus esset, hostiam ‚si deo, si deae' immolabant, idque ita ex decreto pontificum observatum esse M. Varro dicit, quoniam, et qua vi et per quem deorum dearumve terra tremeret, incertum esset.

3 causa edicto imperabant] cause dicto impetrabat *ω, corr. ς.* — 7 rem opus] remotus *ω, corr. Lipsius.*

---

165. Paul. p. 57,19: Caviares hostiae dicebantur, quod caviar id est pars hostiae cauda tenus dicitur et ponebatur in sacrificio pro collegio pontificum quinto quoque anno.

1 caulares *Gothofredus.* — 2 caviae *M Gu vg.*, cavae *codd. deteriores, A. Aug.*, caviar *coni. Scal.*, cavia *omissis vocc.* id est *legendum putat Lind.*

De hoc sacrificio nihil aliud traditum est; cf. Wissowa p. 445 adn. 1. Krause p. 27. Kretzer p. 52.

---

166. Fest. p. 329a 18: Salias virgines Cincius (Bremer I p. 259 fr. 16) ait esse conducticias, quae ad Salios adhibeantur cum apicibus paludatas, quas Aelius Stilo scripsit sacrificium facere in regia cum pontifice paludatas cum apicibus in modum Saliorum.

Salias sacerdotes publicas non fuisse apparet; cf. Marquardt III^2 p. 433 sq. Wissowa p. 445 adn. 4. 481 adn. 5.

---

167. Serv. Aen. II 148: Item ‚vigilasne, deum gens' verba sunt, quibus pontifex maximus utitur in pulvinaribus.

cf. Serv. Aen. X 228: „,Vigilasne deum gens Aenea vigila' verba sunt sacrorum; nam virgines Vestae certa die ibant ad regem sacrorum et dicebant ,vigilasne rex? vigila'. quod Vergilius iure dat Aeneae, quasi et regi et quem ubique et pontificem et sacrorum inducit peritum".

168. Fest. p. 347b34: Struppi vocantur in pulvinaribus [fasciculi de verbenis facti, qui pro deo]rum capitibus ponuntur.

cf. Fest. p. 313a12.

---

169. Paul. p. 103,4: Humanum sacrificium dicebant, quod mortui causa fiebat.

cf. Kretzer p. 73.

170. Paul. p. 70,9: Denicales feriae colebantur, cum hominis mortui causa familia purgabatur.

denecales *A. Aug.*

cf. Fest. p. 242b27. Serv. interpol. Georg. I 270: „...... cautum in libris sacris est ,feriis denicalibus (dene galibus *L*) aquam in pratum ducere nisi legitimam non licet, ceteris feriis omnes aquas licet deducere'." Kretzer p. 72.

De familia purganda cf. Varr. de l. l. V 23: „Ideo is humatus mortuus, qui terra obrutus; ab eo si qui (qui *libri,* quod *Laetus*, quom *Mueller*, si qui *Groth*) Romanus combustus et in (est in *codd.*, si in *Turnebus*, et in *Groth*) sepulcrum (sepulchrum *F*) eius abiecta gleba non est aut si os exceptum est (exceptum non est *Vertranius*) mortui ad familiam purgandam (expurgandam *Laetus*), donec in purgando humo (humo *Ald.*, humo non *B*, *vulg.*, homo *libri*) est opertum (opertus *Laetus*), ut pontifices dicunt, quod (quoad *Rholandellus*) inhumatus sit (est *L. Spengel*), familia funesta manet." Cic. de leg. II 22,57. — Serv. Aen. XII 603: „Sane sciendum quia cautum fuerat in pontificalibus libris, ut, qui laqueo vitam finisset, insepultus abiceretur."

171. De *praesentanea porca*, quae familiae purgandae causa in conspectu mortui Cereri immolabatur, cf. fr. 134.

172. De *porca praecidanea*, quae Cereri familiae purgandae causa immolabatur, cf. fr. 132.

173. Paul. p. 78,1: . . . . . . exverrae sunt purgatio quaedam domus, ex qua mortuus ad sepulturam ferendus est, quae fit per everriatorem certo genere scoparum adhibito, ab extra verrendo dictarum. Paul. p. 72,7: Decermina dicuntur, quae decerpuntur purgandi causa.

Scopas ipsas ab hoc usu exverras esse dictas Muellerus putat (in adn.). — cf. Paul. p. 79,13: „Exfir purgamentum, unde adhuc manet suffitio.“ Kretzer p. 55.

174. Macrob. Sat. I 16,25: Sed et Fabius Maximus Servilianus pontifex in libro duodecimo (Bremer I p. 28) negat oportere atro die parentare, quia tunc quoque Ianum Iovemque praefari necesse est, quos nominari atro die non oportet. Varr. de l. l. VI 34: Ab diis inferis Februarius appellatus, quod tum his parentetur.

6 parentetur *vulg.*, parentur *libri*, parentent *Laetus*.

cf. Macrob. Sat. I 13,3. Serv. interpol. Aen. III 67: „Quare (sc. quod sanguine ostenso inferis satisfaciant) etiam institutum est, ut apud sepulcra et victimae caedantur.“ — dies parentales, qui erant ab Idibus Febr. usque ad a. d. IX. Kal. Mart., quo die Feralia, quae sola erant omnium dierum parentalium feriae publicae, celebrabantur (cf. fr. 151), privatae erant feriae; cf. Wissowa p. 187 sq.

175. Fest. p. 262a15: [Resparsum vinum apud antiquos si]gnificat [vinum rogo inspersum, quod in sacris n]ovendia[libus vino mortui sepulcrum] spargebatur. [quae sacra fiebant die nono].

cf. Kretzer p. 77. — cf. Paul. p. 263,4: „Resparsum vinum dixerunt, quia vino sepulchrum spargebatur.“ Serv. Aen. V 64. Plin. Nat. hist. XIV 88: „Numae regis Postumia lex est: vino rogum ne respargito.“ Fest. p. 158b22: „Murrata potione usos antiquos indicio est, quod etiam nunc aediles per supplicationes dis addunt ad pulvinaria, et quod XII tabulis cavetur, ne mortuo indatur, ut ait Varro in antiquitatum l. I.“ Porphyr. ad Horat. epod.

17,48: „Novemdiale dicitur sacrificium, quod mortuis fit nona die, qua sepultura (sepultus *codd.*) est."

Novemdiale sacrum erat feriarum imperativarum (cf. Wissowa p. 373), quae publice imperabantur, cum lapidibus pluerat; cf. Fest. p. 177b27. Liv. I 31,4. XXX 38,9. Wissowa p. 328 sq. sed novemdiale sacrum celebrabatur etiam sacrum privatum, cum familiam nono die post aut partum aut funus lustrari opus erat. ad hoc Festi verba pertinent. cf. etiam Macrob. Sat. I 16,36: „Est etiam Nundina Romanorum dea a nono die nascentium nuncupata, qui lustricus dicitur. est autem lustricus dies, quo infantes lustrantur et nomen accipiunt, sed is maribus nonus, octavus est feminis."

176. Paul. p. 11,14: Arferia aqua, quae inferis libabatur, dicta a ferendo; sive vas vini, quod sacris adhibebatur.

cf. Corp. gloss. Lat. II 462,26: „Adferial *ὕδωρ τὸ τοῖς νεκροῖς σπενδόμενον.*" II 564,48: „Adferial aqua, qua mortuus lavatur." Kretzer p. 48.

Vita.

Natus sum Carolus Fridericus Guilelmus Theodorus Iohannes Gualtherus Rowoldt a. d. XV. Kal. Mart. a. 1883 in urbe, quae vocatur Braunschweig, patre Henrico matre Anna e gente Geffers, quam praematura morte mihi ereptam esse valde lugeo. fidei addictus sum evangelicae.

Primis litterarum elementis in schola civili imbutus inde ab anno 1893 gymnasium Brunsvicense frequentavi, cui est nomen Martino-Catharineum. vere a. 1902 maturitatis testimonium nanctus Halas me contuli, ut studiis philologicis et theologicis operam darem. scholis interfui per octo semestria virorum illustrissimorum Bechtel, Blaß, Brode, Dittenberger, Fries, Haupt, Hollmann, Kampffmeyer, Kautzsch, Loofs, Luetgert, Maurenbrecher, Muff, Praetorius, Riehl, Robert, Rothstein, Schwarz, Uphues, Vaihinger, Wissowa.

Proseminarii philologici Halensis per bis sex menses, seminarii philologici per duo semestria sodalis fui ordinarius directoribus vv. dd. Blaß, Dittenberger, Wissowa. exercitationibus philologicis ut interessem, benigne mihi permisit v. d. Consbruch, hebraicis vv. dd. Kautzsch et Praetorius.

Quibus omnibus viris illustrissimis gratias ago semperque habebo quam maximas, imprimis Georgio Wissowa, quo duce et suasore hanc composui commentationem.